PA
3829
.K6

Kraft, Richardus i.e. Friedrich Richard.

De hominum peccatis quid Aeschylus nos doceat? ...

Halis, 1865.

THE LIBRARY OF CONGRESS
1800

Class PA3829
Book .K6

DE HOMINUM PECCATIS QUID AESCHYLUS NOS DOCEAT?

EX EJUS TRAGOEDIIS DEMONSTRATUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE AMPLISSIMI
PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

UNA CUM THESIBUS A SE PROPOSITIS

DIE XVIII M. DECEMBRIS A. MDCCCLXV HORA XII.

IN AUDITORIO MAXIMO

PUBLICE DEFNDET

AUCTOR

RICHARDUS KRAFT,

LOSSANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

H. SCHREYER, cand. theol. et phil.

TH. VOGEL, cand. phil.

HALIS,

FORMIS HEYNEMANNIANIS.

PA 3829
.K6

ROBERTO KRAFT PATRI DILECTISSIMO

ET

OTTONI STOCKMANN AVUNCULO CARISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

AUCTOR.

Si quis, quae fuerit Graecorum religio, quid Graeci judicaverint de diis rebusque divinis vult cognoscere, praesertim poetarum Graecorum quae sunt servata carmina accuratissime ei sunt perlegenda, nam poetas praeter alios scriptores populi fuisse in rebus divinis magistros satis constat; et Graeci ipsi haud raro se poetas quasi religionis auctores habere eorumque ex carminibus et de deorum natura et de cultu, quo hi sint venerandi doceri pronunciant, sicut Herodotus de Homero et Hesiodo dicit l. II, 53 *οὗτοί εἰσι οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι, καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες, καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες.*

Itaque quamquam ex tanta carminum multitudine veterum cura pauca tantum nobis sunt reservata, tamen quod nonnulla quidem carmina variis temporibus ficta, quibus quomodo paullatim religio sit formata docemur, fere integra nobis sunt tradita, maxime debemus gaudere; et augetur gaudium quod sunt in reservatis carmina, quibus varii poetae easdem fabulas tractant; nam ex eo, quomodo singuli has fabulas, ut congruant cum suis sententiis mutent variae poetarum sententiae optime patefiunt. Sic ex carminibus epicis, quae antiquissimis temporibus sunt facta, quasi principia religionis discimus; deinde cum sequentibus saeculis poesis lyrica maxime floreret, ex carminibus lyricis illius aetatis de rebus divinis judicia magis exculta elucent; jam sequenti tempore apud Graecos poesis tragica extitit; quae cum e religionibus exorta sit semperque cum rebus divinis cohaereat, cum poetae tragici eos qui audiunt non solum delectare sed etiam praeter alia praesertim quae ipsi de diis rebusque divinis censeant velint docere e variis variorum poetarum tragoediis non solum quae poetae ipsi sed quae omnino

illorum temporum homines de diis rebusque divinis judicaverint, optime possumus intellegere. Sane non sine justa causa nonnullis poetis, quod carminibus suis falsa turpiaque de diis judicia populum docuerint crimini datur nec miramur, quod philosophi aliique viri docti et Homeri et aliorum poetarum carmina, multas res deorum integritati justitiaeque contrarias continentia, vulgi in deos pietatem extinguere contenderint, sed contra monendum est id, illos viros doctos saepe in rebus offendisse, quae offensioni non sunt; deinde quamquam re vera nonnullos poetas fuisse nocentes negari non potest, tamen plurimos e contrario falsas vulgi de diis sententias moresque turpes ut emendarent operam dedisse. Quorum nullum hoc magis quam Aeschylum egisse contendo. Cum mihi quid Aeschylus de hominum peccatis judicaverit, quae sint, quomodo fiant, quomodo puniantur aut expientur ostendere proposuerim, saepissime res mihi occurrent quibus Aeschylum falsa vulgi judicia impugnare apparet, itaque jam hoc loco exempla afferre non opus est, sed statim ad rem propositam transire licet.

I. Quid peccatum sid.

Saepissime et maxime vario modo veteres poëtae Graeci verba faciunt de hominum debilitate et infirmitate, vulgaris Graecorum opinio esse videtur, homines suis viribus nihil valere neque conditionibus uti aequalibus; sic Aeschylus quoque haud raro hanc rem tangit; sufficiat afferre nonnullos locos praestantissimos: Ag. v. 1327 sqt. (secutus cum in versuum numero Dindorfii editionem):

ἰὼ βρότεια πράγματ᾽· εὐτυχοῦντα μὲν
σκιά τις ἂν τρέψειεν· εἰ δὲ δυστυχοῖ,
βολαῖς ὑγρώσσων σπόγγος ὤλεσεν γραφήν.

Ag. 1486

τί γὰρ βροτοῖς ἄνευ Διὸς τελεῖται;

Suppl. 824 et 825.

Dii contra sunt omnipotentes, omnia manibus suis valent, hominum quoque vitam sortesque ex voluntate possunt dirigere. Itaque nominantur *παναλκεῖς* Sept. 166. Res de quibus homines desperant ad finem possunt ducere: Sept. 226 sqt. Quae

polliciti sunt, semper possunt perficere. Prom. 1032 sqt. Praesertim Jupiter omnium potentissimus est, omnium quae fiunt est auctor

Ag. 1485 ἰὴ ἰὴ διαὶ Διὸς παναιτίου πανεργέτα.

Suppl. 90 sqt. Quae vult facere, facit sine ullo labore Suppl. 598 sqt. Suppl. 96 sqt.

Itaque cum possint dii hominibus mala immittere planeque eos perdere, neque ullo modo homines sua vi diis possint resistere, hominum conditionem esse tristissimam putes, nisi Graeci id quoque, deos libentissime in homines benignitate uti, si hi quae dii postularent summa cum cura perficerent, pro certo habuissent. Postulant autem dii, ut pii sint temperantesque homines, id est ut virtutibus illis praestantissimis εὐσεβεία et σωφροσύνη semper dent operam. Quodsi homines deos esse omnium potentissimos sciunt, iis honores meritos nunquam debent recusare, sacra iis grata debent offerre, legibus ab iis datis obtemperare, diis confidere, omnia, quae mittunt, aequo animo debent tolerare, sicut dicit Orestes in Eum. 468 sqt.

σύ δ' εἰ δικαίως εἴτε μὴ κρῖνον δίκην·
πράξας γὰρ ἐν σοί πανταχῇ τάδ' αἰνέσω.

et Atossa in Pers. 293 sqt.:

ὅμως δ' ἀνάγκη πημανὰς βροτοῖς φέρειν
θεῶν διδόντων·

Deinde cum se esse debiles neque quidquam valentes homines non ignorent, nunquam in se debent fiduciam ponere nunquam modum a diis sibi constitutum frangere; temperantia semper debent uti et in cogitationibus et in verbis; nunquam suis viribus vel divitiis superbire, nunquam libidinibus debent obtemperare, sed justitiam, fidelitatem, veritatem in alios adhibere. Tali modo homines deos propitios sibi possunt reddere, neque unquam hominibus piis temperantibusque deorum benignitas auxiliumque deest; propterea si multi homines in calamitatibus versantur, id est deorum poena affliguntur, certe aliquo modo deos violaverunt. Quomodo homines deos a se alienent, hoc est, quid sit hominum peccatum ex Aeschyli tragoediis omnibus optime docemur.

Cum pietatis et temperantiae vim esse eam viderimus, ut qui iis utatur secundum deorum leges agat deosque maxima cum

reverentia colat atque suas libidines coerceat neque fines sibi constitutos transeat, certe peccatum esse contrarium apparet, quod cernitur in hominum libidinibus et in deorum eorumque legum despicientia. Quod ut accuratius perspiciamus, nonnullos locos afferre necessarium videtur. Praeclarus locus est in Eum. 550 sqt.

ἑκὼν, δ' ἀνάγκας ἄτερ δίκαιος ὢν οὐκ ἄνολβος ἔσται,
πανώλεθρος δ' οὔποτ' ἂν γένοιτο
τὸν ἀντίτολμον δέ φαμι παρβάταν
τὰ πολλὰ παντόφυρτ' ἄγοντ' ἄνευ δίκας
βιαίως ξὺν χρόνῳ καθήσειν
λαῖφος, ὅταν λάβῃ πόνος θραυομένας κεραίας.

Ex his cum hoc videmus, eum solum hominem bonum piumque haberi, qui non coactus sed sua sponte rectam vitam agat, tum illum esse hominem nefarium, qui deorum legibus neglectis ad audaciam et ad libidines se convertat. Quod hic locus Aeschylum eum solum hominem, qui sua sponte bonus piusque sit, nominare pium nos docet, quaerat quispiam, num Aeschylus discrimen quoque faciat, num quis consulto sua sponte peccet, an ignorans scelus commitat? Prometheus suis verbis dicit in Prom. v. 266

ἑκὼν ἑκὼν ἥμαρκον, οὐκ ἀρνήσομαι

premit igitur, se sua sponte peccavisse, sed omnino, ut infra ostendam, cum de poenis dicturus sim, Aeschylus, nunquam homines plane ignorantes peccare, contendit.

Simili modo ut loco supra allato homo pius temperansque et vir audax nefariusque sibi opponuntur in verbis illis praeclaris Darii regis mortui ex inferis ad lucem prodientis Pers. 818 sqt.

θῖνες νεκρῶν δὲ καὶ τριτοσπόρῳ γονῇ
ἄφωνα σημανοῦσιν ὄμμασιν βροτῶν
ὡς οὐχ ὑπέρφευ θνητὸν ὄντα χρὴ φρονεῖν.
ὕβρις γὰρ ἐξανθοῦσ' ἐκάρπωσε στάχυν
ἄτης, ὅθεν πάγκλαυτον ἐξαμᾷ θέρος.

et 827 sqt. *Ζεύς τοι κολαστὴς τῶν ὑπερκόπων ἄγαν*
φρονημάτων ἔπεστιν, εὔθυνος βαρύς.
πρὸς ταῦτ' ἐκεῖνον σωφρονεῖν κεχρημένον

πινύσκετ' εὐλόγοισι νουθετήμασι,
λῆξαι θεοβλαβοῦνθ' ὑπερκόπῳ θράσει.

Cum igitur de homine intemperanti dicatur „*ὑπέρφευ φρονεῖν*“ et *φρονήματα* ejus dicantur „*ἄγαν ὑπέρκοπα*“ nominatur ille homo *σώφρων*, qui non „*ὑπερκόπῳ θράσει θεοβαλβεῖ.*“ Habemus praeterea hoc loco vocem, qua plerumque Graeci peccatum significant, vocem „*ὕβρις*,“ quae optime transverti mihi videtur voce „audacia,“ qua audacter homines se efferunt; *ὕβρις* igitur contraria est illi virtuti, quam Graeci dicunt „*σωφροσυνην.*“ Eodem modo ex his versibus videmus sibi opponi *δίκαιος* et *ἀντίτολμος παρβάτης*, *ὑπέρφευ φρονεῖν* et *σωφρονεῖν* et pro voce *ὕβρις* usurpari voces *ὑπέρκοπα φρονήματα* et *ὑπέρκοπον θράσος.*

Sicut ex his locis allatis eos homines esse nefarios, qui justitia neglecta cum vi facinora perficiant aut superbia ducti contra deorum jussa aliquid suscipiant cognovimus, sic aliis quoque rebus deorum iram homines subeunt. Cum sit in hominum commercio regula haec: *θρασυτομεῖν οὐ πρέπει τοὺς ἥσσονας* (Suppl. 204) id est homo inferior in superiores contumaciter dicere non debet, eo magis in deos haec regula est exercenda. Itaque in Eum. v. 930 sqt. Minerva fere haec dicit: Furiarum poenam is qui in gente nefaria natus est, nunquam effugere potest, quamquam verbis utitur insolentibus (*μέγα φωνῶν*), unde ut ex multis veterum poetarum locis esse hominis temperantis ne gloriosius de se praedicet, cavere, cum autem hominem, qui verbis se efferat, qui deos quasi invalidos irrideat, et fiduciam in se maximam collocet, diis esse odiosum videmus. In Sept. v. 409 sqt. Eteocles Tydeo audacter glorianti opponit Melanippum *μαλ' εὐγενῆ τε καὶ τὸν αἰσχύνης θρόνον τιμῶντα καὶ στυγοῦνθ' ὑπέρφρονας λόγους*, et certissime, hunc deorum auxilio ex illo victoriam relaturum esse sperat; et sic in alios quoque hostium duces verbis superbissimis, se neque homines neque deos timere jactantes, Thebanos duces modestos neque verbis sed manibus fortes inmisit. — Saepissime Aeschylus dicit, hominem sapientem id est temperantem aut tacere aut recta aptaque loqui cfr. in Choeph. 582 sqt. et Ag. 548.

Dicit chorus in Ag. v. 369 sqt.

οὐκ ἔφα τις
θεοὺς βροτῶν ἀξιοῦσθαι μέλειν
ὅσσοις ἀθίκτων χάρις
πατοῖθ' ὁ δ' οὐκ εὐσεβής,

qui deos non servare diligenter, ne homines violent leges sanctas contendit, est homo impius; nemo igitur, quin dii homines legibus suis gubernent debet dubitare; est hominum de deorum totius mundi gubernatione dubitatio nefaria, est peccatum neque dii hanc punire omittunt.

Dederunt dii hominibus leges et ut homines iis obediant procurant; qui contra has leges agit, deos ipsos violat. Quare haud raro qui leges a diis datas neglexit, ἀθεὸς ἀνήρ nominatur et peccatum το ἀθεόν. Sic Furiae in Eum. 151 nominant Orestem ἄνδρα ἀθεόν, quod contra antiquissimam legem parentem laesit; sic Danaidae in Suppl. v. 421 ἐκβολάς, quibus a consanguineis viris e terra patria expulsae sunt, δυσθεούς nominant, quod dii consanguineis nocere homines vetuerunt; sic Eteocles in Sept. v. 606 eum qui hospites odit, nominat θεῶν ἀμνήμονα. Qui parentes, consanguineos, hospites laedit, a deorum lege aberrat, est quasi deorum immemor. Eodem modo Darius in Pers. 804. Persas in Graecia relictos interituros esse dicit, mercedem quasi audaciae et consiliorum impiorum accipientes ὕβρεως ἄποινα κἀθέων φρονημάτων, nam neque imaginibus deorum neque templis Persae parcebant, quamquam deos ut imagines suae templaque ab omni damno servarentur et ab hominibus colerentur postulare sciebant. Similiter eodem sensu nominatur homo nefarius ἄνομος, qui deorum legibus non obtemperans suis legibus, id est suo arbitrio agit, quod docent Promethei versus 401 sqt. in quibus Jovem. quem deum novum Oceanitides deae veteres non justum deorum regem agnoscunt, suis legibus — ἰδίοις νόμοις — agere hae deae dicunt.

Eodem modo diis est invisus, qui matrimonium quod a diis esse institutum Graeci putabant, violat; polluit quasi deos gentilicios, qui sunt matrimonii tutores ut extat in Ag. v. 1645 sqt.

Certe deinde scelus committit, qui aut divitiis suis confisus (Ag. v. 381 sqt.) aut gloriae cupiditate, sicut Agamemnon, aut virium suarum fiducia, sicut Xerxes, aut nefario amore, sicut Clytaemnestra, aut aliis libidinibus ductus rectum modum

non tenet; sufficiant pauca exempla allata, quae, qomodo hominum audacia maxime appareat, satis docent; ex his, quae infra ducturus sum alia elucebunt.

Qnodsi quae adhuc attuli paucis verbis complectimur, est peccatum nefaria hominum audacia, qua verbis cogitationibus facinoribus se efferunt, qua deos deorumque leges despiciunt, qua se sine deorum auxilio omnia posse persequi censent. Sed ut plane peccati naturam cognoscamus, accedit aliud. Dii sunt omnipotentes, sciunt omnia, sunt sapientissimi, hominibus quoque tamquam munus aliquam suae potentiae sapientiaeque partem dederunt; qui potentia sapientiaque sua contentus majora non optat, est homo pius diisque gratus, qui insolescit, impius diisque invisus. Jam saepissime apud Aeschylum sententiam invenimus expressam hanc, deos homines temperantes piosque ab omnibus malis tueri contra audaces impiosque ad perniciem vocare. Praeclaro illo Agamemnonis loco v. 750 sqt. quo vulgatam opinionem, deos hominibus magnam fortunam invidere impugnat, claris verbis dicit: domus hominis justi semper est prospera; similiter de Cyro dicit Darius In Pers. 772

θεὸς γὰρ οὐκ ἤχθηρεν, ὡς εὔφρων ἔφυ.

contra sexcenties multis et clarissimis verbis, nunquam homines nefarios deorum poenam effugere pronuntiat: aut statim homines scelesti in ipsa re cum audacia perficienda puniuntur, ita ut ad finem ducere eam non possint, aut certe postero tempore deorum poenis affliguntur. Itaque cum homines audacia sua ut aliquid assequantur tantum abesse, ut aut statim aut serius certe puniantur videamus, peccatum esse vanum stultumque apparet, id quod Aeschylus et totis suis tragoediis et singulis exemplis verbisque docet: sic in Ag. v. 394 sqt. aptissime chorus hominem sceleratum pueri esse similem, qui avem celerem capere stulte studet, dicit nam vana uterque suscipit; sic in Choeph. v. 918 Agamemnonis scelera nominantur *μάται*, sic in Eum. 336 Furiae pro peccatis utuntur vocibus *αὐτουργίαι μάταιοι*, sic extat in Suppl. v. 228 sqt.

οὐδὲ μὴ 'ν Ἅιδου θανὼν
φύγῃ ματαίων αἰτίας, πράξας τάδε.

sic in Prom. v. 899 sqt. Mercurius Prometheum monet:

τόλμησον, ὦ μάταιε, τόλμησόν ποτε
πρὸς τὰς παρούσας πημονὰς ὀρθῶς φρονεῖν,

nihil juvat, si quis in calamitatibus animum obtinet superbum, cum multo melius sit si his malis eruditus ad modestiam se vertat: cfr. Prom. 327 sqt. Sed non opus esse videtur alia adjicere cum ut jam dixi totarum fabularum sententia gravissima sit nos docendi, quomodo deorum potentia omnia hominum consilia nefaria facinoraque turpia corruant vanaque fiant.

Sic ostendisse mihi videor, quae sit peccati natura; restat ut quibus vocibus Graeci maxime peccatum significent breviter afferam: supra jam notavi voces ὕβρις, ὑπέρκοπα φρονήματα, ὑπέρκοπον θράσος, accedunt νόσος φρενῶν, δυσσέβεια, ἀδικία, quibus opponuntur, ὑγίεια φρενῶν, εὐσέβεια, δικαιοσύνη, alia.

II. Quomodo peccata fiant?

Jam quomodo peccata fiant, id est quomodo homines ad scelera committenda adducantur mihi est exponendum.

Cum nullum hominem sine peccatis esse, vel omnibus hominibus proclivitatem ad peccata committenda esse quasi innatam vulgata Graecorum opinio esset, tamen non crediderunt, omnino homines quin peccarent facere non posse, sed sua culpa ad peccata eos duci. Sciunt homines deorum leges, sciunt deos solos esse omnium potentissimos sapientissimosque, se contra esse debiles minusque sapientes, itaque cavendum est iis ne ullo modo fines transeant neve deos violent; fieri non potest, quin is qui deos legesque divinas contemnat homo sit intemperans nefariusque. Itaque ut jam supra commemoravi, qui libidines suas non coercet in scelera irruit. Sufficiat afferre pauca exempla. Nimiam amoris cupiditatem, qua homines ad peccata ducuntur, praeclarissime Aeschylus depingit in Choeph. v. 595 sqt. Quis, inquit, audaces feminarum impavidosque amores recte nominat? Nam ne sanctas quidem matrimonii leges, si nefario alius amore correptae sunt, observant. Sic Clytaemnestram cum aliae causae tum nefarius Aegisthi amor ad crudelissimam sceleratissimamque conjugis caedem incitat; sic Paris amore Helenae correptus justum hospitii jus negligit et maximas poe-

nas sibi suisque contrahit. — Quomodo homo laudis cupidus rectum modum facile excedat aut contra deorum jussa aliquid suscipiat ut demonstremus, Agamemnonis habemus exemplum: dii enim quamquam ut Paridis scelus puniretur Trojae interitum decreverant, tamen signo illo, quod priusquam Agamemnon exercitum deduxit miserant, satis clare eum belli ducem esse vetuerant. Sed Agamemnon cum a diis ipsis Graecos Trojam capturos esse audivisset, tanta gloriae cupiditate affectus erat, ut deorum monitus neglegere quam hanc gloriam amittere mallet. At fieri non potuit quin postquam summam gloriam assecutus est, in maximam perniciem incideret, quamquam postea cum Troja redisset, maxime deos coluit neque se nimio honore ornari permisit. — Eadem gloriae cupiditate ductus bellum diis ingratum Xerxes Graecis intulit, quamquam dii Persas bella externa gerere vetuerant. Et ad majora scelera se convertit, quod maximis innumerabilibusque copiis confisus deos ipsos coercere ausus est; nam neminem ne deos quidem sibi resistere posse censuit. Nec minus et Agamemnon et Xerxes deorum iram irritaverunt, quod gloriae cupidissimi civium vitae non pepercerunt sed tot atque tam fortes viros, qui domi aut parentes debiles aut mulieres amatas infantesque reliquerant in bello occidi passi sunt, itaque in Ag. v. 470 sqt. fere sic verba facit chorus: qui multos necat, id est pro quo multi occiduntur, deorum oculos non effugit; Furiae tandem eum qui contra jus ac fas gloriam sibi paravit, infelicem reddunt; nam qui praeter modum inclutus est, in periculo est; quapropter quoque chorus modestus minime urbe hostili expugnata gloriam sibi vindicare optat.

Item deinde quaestus nimio studio facillime homines ad injusta facinora incitantur, quapropter chorus Furiarum, ne quis quaestus turpes quaerat hortatur in Eum. v. 538 sqt.

Denique ne quis nimia ulciscendi cupiditate ad nefaria facinora impellatur Aeschylus cum pluribus locis tum illo monet, quo Clytaemnestra ne Achaei deorum Trojanorum templa imaginesque deleant valde optat Ag. v. 338 sqt. Similiter precibus assiduis chorus Eteoclem ne scelerosa ulciscendi cupiditate ductus fratri paret mortem hortatur Sept. v. 686 sqt.

Saepius deinde apud Aeschylum eos, qui magnis divitiis

floreant, facillime ad superbiam et audaciam duci commemoratur, quamvis nullo modo homines divites semper diis esse odiosos tamquam dii has divitias hominibus invideant, contendat. Sed cum pauper vir, qui contentus est paucis suis rebus, plerumque temperantia quoque utatur et in diis spem suam ponat, dives, qui multa divitiis suis sibi parare potest, saepissime se omnino nullius auxilio neque deorum beneficiis indigere, quapropter eos colere sibi non opus esse putat. At vanae sunt, dicit chorus in Ag. v. 377 sqt. divitiae neque eum qui audacter justitiam violat tuentur a deorum ira et poena.

Si deinde dicitur:

οὐ γὰρ ἔστιν ἔπαλξις
πλούτου πρὸς κόρον ἀνδρὶ
λακτίσαντι μέγαν Δίκας
βωμὸν εἰς ἀφάνειαν,

nos docemur his verbis, quomodo fiat, ut vir magnis divitiis usus ad scelera ducatur: non enim ei divitiae suae sufficiunt, rapitur *πρὸς κόρον* id est ad satietatem, optat majora et cum justo modo ea assequi non possit, justitiam violare non dubitat. Sic omnino magna fortuna homines reddit nefarios, quia modesto animo plerique ea uti non possunt.

Eodem modo facillime adolescens non contentus sua conditione, sed juvenili cum superbia majorem gloriam majoremque fortunam optans, sapientiorum monitu neglecto ad audaciam se convertit, sicut Darius de filio dicit in Perc. v. 782 sqt.

Ξέρξης δ' ἐμὸς παῖς ὢν νέος φρονεῖ νέα,
κ' ὀυ μνημονεύει τὰς ἐμὰς ἐπιστολάς.

Sic homines sua culpa ad despicientiam illam, qua deorum leges transeunt adducuntur et aptissime dicit Aeschylus in Eum. 534

δυσσεβίας μὲν ὕβρις τέκος ὡς ἐτύμως.

— Possunt deinde homines ab aliis hominibus ad peccata duci. Sicut nos habemus proverbium, mala exempla corrumpunt bonos mores, Aeschylus quoque haud raro homines praesertim juvenes aliorum perditorum aut exemplis aut consiliis malis ad facinora nefaria pellici commemorat. Sic Atossa in Pers. v. 573 sqt. multis verbis Xerxis filii amicos malos accusat, qui Xerxem adhuc adolescentem de ignavia objurgaverint nec prius destite-

rint quam ei ut expeditionem illam injustam periculosamque faciat persuaserint. Itaque Darius a senibus Persis petit ut postea sapienti consilio Xerxeni dirigant, ne rursus deos audacia turpi violet: Pers. v. 829 sqt. Similiter in Sept. 597 sqt. Eteocles valde conqueritur, quod malo aliquo casu Amphiaraus, vir pius et temperans, aliorum sex ducum perditissimorum consuetudine utatur, nam *ἐν παντὶ πράγει δ' ἔσθ' ὁμιλίας κακῆς κάκιον οὐδέν.*

Postremo eum quoque, qui ne hominum odium subeat timore deorum jussa negligat, peccare commemorandum est. Sic Orestes hoc timore num matrem interficiat dubitans his Pyladis verbis ne deorum jussa postponat hominum odio monetur Choeph. v. 902

ἅπαντας ἐχθροὺς τῶν θεῶν ἡγοῦ πλέον.

Sic omnino qui hominum favorem sibi reconciliare studet saepius ad divinarum legum violationem trahitur, quod optime Promethei exemplum ostendit.

In his quae adhuc attuli non offendimus, sed jam cum apud Graecos opinionem vulgatam, deos ipsos homines ad peccata impellere atque eorum ut ad perniciem eos ducant, animos occaecare inveniamus, certe deos esse injustos neque homines amare negari non potest. Priusquam hac de re accuratius dico, omnino de deorum erga homines conditione, quam Aeschylus judicaverit nonnulla afferenda esse videntur. Cum enim tantum absit, ut Graeci deos esse justissimos credant, ut eos saepissime homines insontes non justa causa perdere opinentur, quid de hac opinione censuerit Aeschylus, quem id maxime egisse, ut falsas de diis sententias emendet rectasque reddat satis scimus, est interrogandum.

Primum igitur deos esse hominibus invidos eosque, qui magna fortuna utantur, odisse est Graecorum opinio vulgata. Videamus de hac re Aeschyli sententiam: in Eum. v. 171 extat

παρὰ νόμον θεῶν βρότεα μὲν τίων,

opprobio igitur Furiae Apollini faciunt, quod Orestem contra deorum legem honoret manibusque suis eripiat; est igitur lex deorum, homines non honorare neque ab interitu eas tueri. Sed cum dicant haec verba Furiae, veteres duraeque deae, cum Apollo nihilominus Oresti auxilium ferat, Aeschylus hac

ipsa re, deos novos justos et clementes illa lege minime uti ostendere videtur. Jam autem si Promethei fabulam contemplamur plane contraria res videtur, nam Prometheus deus antiquus a Jove deo novo hac de causa gravissime punitur, quod hominibus beneficia tribuerit majora; Mercurius, Jovis nuntius sic Prometheum alloquitur v. 944 sqt.

σὲ τὸν σοφιστὴν, τὸν πικρῶς ὑπέρπικρον,
τὸν ἐξαμαρτόντ' ἐς θεοὺς ἐφημέροις
παρόντα τιμὰς, τὸν πυρὸς κλέπτην λέγω.

et Vulcanus dicit v. 29 sqt.

θεὸς θεῶν γὰρ οὐχ ὑποπτήσσων χόλον
βροτοῖσι τιμὰς ὤπασας πέρα δίκης.

Cum vero homines priusquam Promethei beneficio ignem acceperant plane inanes debilesque essent ut Prometheus ipse eos describit v. 442 sqt. contra igni accepto prudentiores fierent artesque quam plurimas ediscerent, Jupiter, qui a Prometheo ob hoc beneficium poenas turpissimas repetit, hominibus hanc fortunam invidere videtur. Sed minime Aeschylum sic censuisse puto, sed hac de causa ex Aeschyli sententia Prometheus punitus esse mihi videtur: Jupiter cum regnum totius mundi assecutus esset, hominum genus inane extinguere aliudque melius creare constituit, Prom. v. 231 sqt. Prometheus quem hominum miseruit, fraude mala hominibus ignem attulit; Jovis igitur consilium delevit et quin hac de causa puniretur fieri non potuit. Certis autem verbis, minime deos hominibus etiam felicissimis si sint temperantes fortunam invidere demonstrat locus Persarum v. 772 ubi de multis a Cyro rebus maxima cum fortuna gestis dicitur:

θεὸς γὰρ οὐκ ἤχθηρεν, ὡς εὔφρων ἔφυ.

Sicut Graeci deos hominibus magnam fortunam invidere opinabantur, sic deos quoque haud raro animo subdolo in homines, quibus nocere vellent, uti vulgo putabant. Si Aeschylus quoque nonnunquam hanc deorum fraudem commemorat, hoc est monendum, semper enim de fraude justa dicere, id est ex Aeschyli sententia deos in homines tantum injustos fraudem adhibere; sic igitur si chorus in Ag. v. 477 de signis, quibus Clytaemnestra Trojae interitum cognovit, haec dicit *εἰ δ' ἐτήτυμος, τίς οἶδεν, ἤ τοι θεῖόν ἐστι μὴ ψύθος*, vix aliquis diis

opprobrio det, quod Clytaemnestram feminam sceleratissimam fallunt; conferendus est v. 273 ἔστιν· τί δ' οὐχί; μὴ δολώσαντος θεοῦ.

Si Furiae Apollini, quod Orestem manibus suis eripuerit crimini dantes dicunt in Eum. v. 149 ἰὼ παῖ Διὸς, ἐπίκλοπος πέζει et v. 153 τὸν μητραλοίαν δ' ἐξέκλεψας ὢν θεός, igitur furtum dolosum ei objiciunt, haec quoque videtur fraus justa, nam secundum deorum novorum leges Furiae Orestem perdere non debent.

Si extant in Pers. v. 94 sqt.

δολόμητιν δ' ἀπάταν θεοῦ τίς ἀνὴρ θνατὸς ἀλύξει;
τίς ὁ κραιπνῷ ποδὶ πηδήματος εὐπετοῦς ἀνάσσων;
φιλόφρων γὰρ παρασαίνει βροτὸν εἰς ἄρκυας Ἄτα
τόθεν οὐκ. ἔστιν ὑπὲκ θνατὸν ἀλύξαντα φυγεῖν.

ex his quoque apparere mihi non videtur, diis fraudis malae opprobrium fieri, nam si quae et prioribus et sequentibus versibus dicuntur accurate contemplamur, senes Persas de Xerxis in Graeciam expeditione cogitare elucet; quae si male cadit, diis crimini dari non potest, nam oraculis suis satis eum hoc bellum suscipere se nolle ostenderunt.

Longum est alia afferre exempla, quamvis sint multa; ex omnibus Aeschylum nunquam opinioni vulgatae, deos fallere homines sine justa causa, assentiri potest demonstrari, cum contra tanta sit Aeschyli divinae justitiae persuasio, ut deos, qui injusti sint, deos non esse contendat, ut in Sept. v. 670 sqt.

Quibus expositis si redimus ad illam Graecorum opinionem, qua dii homines ad peccata impellant, jam Aeschylum hac quoque in re de diis rectius judicare exspectare possumus. Quamvis enim deos re vera homines ad scelera incitare minime neget, certe id negat, deos malitia ductos insontes homines bonosque ad peccata pellicere, cum homines qui scelus commiserint, a diis ad alia duci concedat. Cui sententiae nullum inveni locum contrarium; si in Niobae fragmento extant verba

θεὸς μὲν αἰτίαν φύει βροτοῖς,
ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλῃ

de his judicare non possumus, quod sensus verborum sensus connexu facile mutatur. Certe mihi Aeschylum ullo loco falsae illi opinioni adsensisse persuadere non possum, nam alii loci

certissime deos hominibus piis semper favere docent, ut versus jam supra allati in Eum. v. 550 sqt.; Choeph. c. 958; Sept. v. 596.

Sed accuratius hac de re debemus agere; videamus igitur primum Agamemnonis scelus. Cum enim fama vulgaris eum a diis corruptum esse tradat, Aeschylus hac ipsa re aperte, nunquam homines contra voluntatem suam a diis ad scelera duci ostendit et ut impugnet illam falsam vulgi opinionem ita fabulam, ut tota culpa dii exsolvantur, mutat. Cum enim vulgari fabula Agamemnonem cerva Dianae sancta interfecta se meliorem dea ipsa esse sagittarium jactasse, deam autem ventos adversos, qui Graecorum classem Aulide retinerent, misisse, neque prius quam Agamemnon filiam mactasset, eos mitigasse traderetur, nos certe Dianam ipsam Agamemnonem ad filiae caedem incitasse concedimus et eum si nihilominus postea ob hoc scelus punitur, certe dolemus, nam eum jam vehementissima poena punitum esse, quod filiam interficere coactus sit censemus. Quodsi Aeschylus deos ab illo opprobrio, quod homines pelliciant ad scelera, vult liberare, fabulam ita ut tota culpa in Agamemnonem ipsum transferatur debet mutare. Itaque novi aliquid affert: adveniunt enim priusquam Agamemnon ad exercitum proficiscitur ad aedem Atridarum duae aquilae, quae lepore gravi pullisque vescuntur; Calchas vates hoc portentum recte sic declarat: irasci Dianam, capturos quidem esse Atridas Trojam sed hac leporis caede aliam turpissimam caedem, ex qua Atridis nova calamitas existere possit, nuntiari. Quó de portento viri docti valde dissentiunt; non est satis perspicuum, cur Artemis dea Atridis irascatur; Schoemannus fere sic interpretatur: Aquilae sunt Agamemnon et Menelaus, v. 123 sqt. sicut aquilae lepore pullisque vescentes quasi nefarium flagitium committunt, sic hac re ostenditur, Atridas quoque in Trojae captione scelera facturos esse; et re vera postea faciunt v. 527 sqt. Artemis autem est Trojae tutrix; itaque bellum improbat et Atridae cum nihilominus bellum suscipiant in reditu tempestatibus maritimis vexantur; quod Artemis hoc signo non alio utatur, dicit Schoemannus, non est mirum, nam cum sit ferarum dea, aptissimum est hoc signum. Non mihi hanc esse rectam interpretationem persuadeo, quod Aeschylum qui hac

tragoedia totam gentis Atridarum scelerum seriem, ut continuo ex scelere scelus existat, vult ostendere, hoc portentum ad hoc suum consilium non pertinens attulisse putare nequeo. Itaque Naegelsbachii sententiam sequor, qui hoc aquilarum pastu nefario scelus puerorum Thyestis ab Atreo mactatorum ostendi contendit: irascitur igitur Artemis, quod Atreus quondam foedissimo scelere fratris infantes mactavit neque ob hoc scelus punitus est: cum autem patris culpa nondum punita Graecorum opinione ad filios transeat iique pro patre poenas accipiant, hoc signo Diana, jam Atridas, si bellum suscipiant, poenas solituros esse nuntiat. Sane adveniunt duae aquilae et recte Calchas has significare Agamemnonem et Menelaum declarat, cum unam Atreum significantem advenire exspectemus, sed non jam Atreus spectatur, sed cum impunitus mortuus sit, ad ejus filios culpa transiit et hi ac si ipsi scelus commisissent, habentur. Atridis igitur hoc signo patris scelus in memoriam redigitur monentur ne bellum suscipientes novum scelus subeant, sed nihilominus Agamemnon exercitus imperium capessit. Jam rursus dii ut eum a bello retineant ventos adversos Graecis movent; pronuntiat Calchas sola Iphigeniae sacrificatione hos ventos mitigari posse; jam est Agamemnonis a bello desistere sed tantum abest ut redeat ut ne filiae quidem parcat; fluctuat sane aliquamdiu, num gloriam ammittere an filiam perdere malit, non repente igitur et nimis festinanter scelus facit, sed postremo ad crudelissimam filiae caedem accedit. Sic cum suo arbitrio peccaverit, ut postea puniatur sequitur, dii enim sane summa gloria ante oculos posita in discrimen eum vocant, sed simul ei male rem eventuram esse satis clare ostendunt. Quaerat hic quispiam, cur omnino dii Agamemnonem in discrimen, quo facillime possit peccare, duxerint? Jam dixi, patrum culpam impunitam transire ad filios, quibus lege talionis ea est praestanda; est igitur veterum sententia Agamemnon ipse culpa patris foedissima oppressus et dii qui scelus pari poena puniunt rem ita ut Agamemnon sua manu se puniat instituunt, sed minime ut omnino scelus vitare non possit eum cogunt. Sed de hac re infra cum de poenis dicturus sim, plura verba faciam.

In Xerxis quoque calamitate deorum numen versari saepe Aeschylus dicit, ut in Pers. v. 139 sqt. dicit Darius:

φεῦ, ταλαῖά γ' ἦλθε χρησμῶν πρᾶξις, ἐς δὲ παῖδ' ἐμὸν
Ζεὺς ἐπέσκηψεν τελευτὴν θεσφάτων· ἐγὼ δέ που
διὰ μακροῦ χρόνου τάδ' ἤυχουν ἐκτελευτήσειν θεούς.
ἀλλ' ὅταν σπεύδῃ τις αὐτὸς, χὠ θεὸς συνάπτεται.

Dii igitur oraculum, Persas quondam a Graecis magnam cladem accepturos esse dederunt; itaque Xerxes ut Darius Graecis bellum inferre non debebat; Xerxes autem audacia sua deorum oracula despiciens a diis ipsis ad majorem audaciam, qua sceleris accipiat poenam justam, stimulatur. Infra v. 941 Xerxes ipse dicit, *δαίμων γὰρ ὅδ' αὖ μετάτροπος ἐπ' ἐμοί.*

Conferendus est denique locus Sept. v. 402 sqt. quo extat: justo modo Jupiter suum cuique tribuit, malo homini alia mala, bono bona.

Jam praetereundum hoc loco silentio non videtur, quod Graeci tam saepe, si quis scelus commisit, eum esse *ἄτῃ* corruptum dicunt, cum Aeschylus quoque saepissime hujus *ἄτης* faciat mentionem. Duplicem habet vim vox *ἄτη*, significat aut damnum sive perniciem, qua quis opprimitur, aut corruptricem, quae homines ad peccata et sic ad perniciem trahit. Non est hoc loco de illa priori significatione verba facere, quapropter statim hanc alteram contemplemur. Cum enim homines deorum leges sciant neque se si ullo modo has violent, poenas accepturos esse ignorent, eum qui nihilominus peccet, insania quadam mentis tentari Graeci putant. Haud raro hanc insaniam in homine ipso non exortam, sed numen esse quoddam, quod in hominis mentem insaniam injiciat, a Graecis scriptoribus commemoratur. Sane multis locis, quibus vox *ἄτη* extat, vix possis dijudicare, utrum de re an de numine cogitandum sit, sed re vera hac voce personam quoque intelligi multi loci aperte docent, sicut Pers. v. 1006 sqt. *ἰὼ ἰὼ, δαίμονες, ἔθεσθ' ἄελπτον κακὸν ζαπρέπον, οἷον δέδορκεν Ἄτα.* — Jam autem sive est haec *ἄτη* numen sive non est, fere semper missam esse eam a diis Graecos credidisse a multis locis apparet, ut Choeph. v. 382 *Ζεῦ Ζεῦ κάτωθεν ἀμπέμπων ὑστερόποιναν ἄταν κτλ.* (quo loco ut multis *ἄτη* poenam significat pro peccatis acceptam, de qua infra dicturus sum). Rursus igitur dii videntur accusari, sed rursus Aeschylum deos injustitiae nunquam accusare contendo sed contra deos *ἄτην* mittentes esse justissimos facile

est intellectu: in Sept. v. 686 sqt. hortatur chorus Eteoclem, ne furore insano facinore scelesto se adstringat; sed respondet Eteocles v. 689 sqt.

ἐπεὶ τὸ πρᾶγμα κάρτ' ἐπισπέρχει θεὸς,
ἴτω κατ' οὖρον κῦμα Κωκυτοῦ λαχὸν
Φοίβῳ στυγηθὲν πᾶν τὸ Λαΐου γένος.

Excusat igitur furorem suum, quod a deo quodam agatur; non chori monitus audit sed fratrem aggreditur; itaque nullo modo diis culpam tribuere potest, nam sua sponte ad scelus properat. Deinde si Eteocles v. 653 genus suum nominat

ὦ θεομανές τε καὶ θεῶν μέγα στύγος

igitur a diis generi omnia mala venire dicit, falsa diis facit opprobria, nam et Eteocles et Polynices non a diis sed sua regnandi cupiditate ducti ad nefarium bellum veniunt.

In Choeph. v. 202 sqt. extant:

βοᾷ γὰρ λοιγὸς Ἐρινὺν
παρὰ τῶν πρότερον φθιμένων ἄτην
ἑτέραν ἐπάγουσαν ἐπ' ἄτῃ

excipit igitur ἄτη ἄτῃν, id est deus hominem nefarium ad alia scelera incitat, quo graviorem poenam accipiat. Non alio sensu intelligenda sunt verba ἰὼ δαιμονῶντες ἐν ἄτᾳ Sept. v. 1000. Sic quoque intelligendus videtur locus Agamemnonis v. 385 sqt.

βιᾶται δ' ἁ τάλαινα πειθὼ,
προβουλόπαις ἄφερτος ἄτας.

Est illa ἄτη, haec τάλαινα πειθώ — hae deorum illecebrae — poena a diis missa, quae hominem improbum magis magisque sceleribus implicet, quo majorem tandem poenam pendat.

Haud raro homines scelerati excusationem scelerum hanc afferunt, se non sua sponte sed fato suo = μοίρᾳ — coactos scelera commisisse. Quae sit haec μοῖρα ex Graecorum sententia non est hoc loco quaerere; sufficiat afferre, Aeschylum plerumque hujus vim a deorum praesertim a Jovis voluntate non discernere, quod docent haud pauci loci: Eum. v. 1045 sqt. Suppl. 1077 sqt., Ag. 1025 sqt.; Choeph. 306 sqt., Pers. 101, Sept. 947.

Si igitur homines nefarii causam scelerum suorum μοίρᾳ attribuunt, diis ipsis assignant neque quin sic quoque falso a se culpam demoveant fieri potest. Sic Clytaemnestra se excusat

in Choeph. v. 910 *η Μοῖρα τούτων, ὦ τέκνον, παραιτία,* quam excusationem ut accipiat Orestes tantum abest, ut ironice quasi respondeat proximo versu

καὶ τόνδε τοίνυν Μοῖρ' ἐπόρσυνεν μόρον.

Non est negandum in Aeschyli tragoediis fatum aliquod inesse, sed non tanta est ejus vis, ut homines ei plane sint subjecti, ut ejus necessitate ad consilia ea facinoraque, quae fato contineantur, contra suam voluntatem ducantur; sed semper liberum hominum arbitrium servatur; tum demum fato homines plane sunt obnoxii, si non reluctantur, sed quamquam sciunt fatum, quamquam a diis et aliis hominibus sunt moniti, sine ulla rerum necessitate fato quasi obviam properant.

Jam verohoc loco mirifica illa Graecorum de Alastore opinio afferenda est; priusquam autem accuratius hanc opinionem contemplamur, de voce „*ἀλάστωρ*" quid proprie significet, unde sit derivanda, est dicendum. Viri docti maxime varias de hac voce sententias protulerunt; affero nonnullas: Hermannus (ad Soph. Oed. Col. 1480) vocem „*ἄλαστος* ductam esse a verbo *λάζεσθαι* putat; *λάζεσθαι*, dicit Hermannus, primariam habet notionem non tolerandi, ut sit *ἄλαστος* propric intolerabilis, quod plerumque ob scelera et flagitia fit. Similem vel eandem vim igitur Hermanni sententia *ἀλάστωρ* quoque habet. Non assentior huic derivationi, quae cum ad alios locos tum ad Eum. v. 236

ἥκω, δέχου δὲ πρευμενῶς ἀλάστορα

quadrare non videtur; nam totus hujus loci sensus contradicit, Orestem se nominare non tolerabilem. Wexius (Beitraege zur Kritik des Soph. Oed. Col. p. 9) vocem „*ἀλάστωρ*" derivat a verbo *λήθομαι* et sequitur eum Naegelsbachius (de religionibus Orestiam Aeschyli continentibus p. 34); qui duplicem inesse vim huic verbo dicunt: „*ἀλάστορα* dici aut active eum, qui non obliviscatur, aut passive eum cujus ipsius memoria non deleatur oblivione. Jam utraque vocis significatione ad sceleris cogitationem relata, ille ultor, hic sceleratus est." — Si hanc interpretationem probamus, illo Eumenidum loco, quo Orestes *ἀλάστορα* se nominat, certe sensu passivo vocem *ἀλάστορα* esse positam est concedendum; sed cum apud Aeschylum, quantum equidem vidi, semper *ἀλάστωρ* eum significet, qui scelus ulciscitur, igitur semper activam habet vim, vix hoc uno loco passive hanc vocem esse positam puto.

Welkerus (Gr. Goetterlehre, Th. III., p. 95) affert illum Eumenidum locum nec quidquam aliud nisi ἀλήτην significare ἀλάστορα contendit; derivandam esse vocem a verbo paragogico ἀλάζω formato a verbo simplici ἀλάομαι ut σκευάζω a verbo σκεύω. Est igitur Welkeri sententia ἀλάστωρ „der herumirrende Irrgeist" Quae Welkeri interpretatio optime ad omnes quibus extat ἀλάστωρ locos quadrare mihi videtur: Orestes illo Eumenidum loco aptissime se nominat ἀλάστορα, quod jam per longum tempus per multas terras erravit; nec minus apte, cum aliis Aeschyli locis ἀλάστωρ numen sit divinum, quod ab hominibus sceleratis poenas repetit, hoc numen ἀλάστωρ nominatur, quod hac quoque in re cum Welkero consentio, primum animam interfecti, quae eum qui interfecit, semper persequatur simulque cum illo errante erret, nominatam esse ἀλάστορα. Neque raro Aeschylus quoque mortui animam in parricidam saevire commemorat, ut in Choeph. v. 315 sqt. Mox quod nunquam hanc mortui ultionem remitti Graeci sentiebant, his ultionis partibus numen quoddam fungi putabant, et proprie est ἀλάστωρ genius ultionis scelerum, quibus sanctissima consanguinitatis jura violantur; postremo denique ἀλάστωρ omnino significat ultorem scelerum gravium, quo sensu jam Aeschylus nonnullis locis hac voce utitur, ut in Suppl. v. 418 sqt. ubi ἀλάστορος poenam rex timet, si Danaidis supplicibus non ferat auxilium. In Pers. 353 sqt. ἀλάστωρ Xerxis superbiam, qua jussa neglexit deorum, punit.

Sed proprie apud Aeschylum ἀλάστωρ est ultor scelerum jura consanguinitatis violentium, et de hoc ἀλάστορος munere nobis est tractandum, et cum Aeschylus in singulis Orestiae suae partibus quomodo singuli Atridae ab hoc alastore corrumpantur, tradat, ex gentis Atridarum sortibus optime ἀλάστορος vim possumus intellegere.

Si Homeri de Agamemnonis caede narrationem perlegimus, Aegisthum imperii maxime cupiditate ut Agamemnonem interficiat commotum esse videmus; itaque quod Agamemnon plane insons esse videtur, quin valde ejus casum commiseremur nos facere non possumus, cum postea Aegisthum et Clytaemnestram suo jure ab Oreste interfici dicamus. Posteriori tempore haec fabula mutata est, ut cum opinione illa, qua dii

justi cujusque peccati poenas ab homine scelerato aut ab ejus filio aut nepote repetant, et qua ex scelere semper nova scelera in eadem gente exoriantur congruat. Est autem illa opinio fere haec: si quis scelus grave commisit, alius ejusdem gentis vir hoc scelus ulcisci suscipit, sed cum ulciscatur novum scelus facit; jam tertius in idem scelus irruit et sic fit scelerum series continua. Tali conditione usa est gens Atridarum: Aeschylus primum scelus ad Thyestem et Atreum refert, cum alii Pelopem primum scelerum auctorem fuisse narrent. Pelops enim Myrtilum, cui mercedem pollicitus est, nefaria cum fraude in mare dejicit, quapropter Myrtilus et Pelopem et totam ejus gentem exsecratur. Deinde inter Pelopis filios Atreum et Thyestem, postquam prius Chrysippum fratrem germanum interfecerunt, cum uterque ad imperium accedere velit certamine exorto, Thyestes Aeropam fratris mulierem adulterio pellicit; sed in exilium mittitur; jam in patriam redit; Aetreus eum recipit, sed infantium ejus mactatorum carnem patri apponit; Thyestes hac turpissima fraudeperspecta in totam gentem deorum iram devocat; Atreus Thyestem iterum e patria ejicit. Sic igitur in Agamemnonem Atrei filium hoc patris scelus transit, sed novum quoque scelus subit, eum laudis cupiditate ductus Iphigeniam filiam mactet; Agamemnonem interficiunt Clytaemnestra uxor et Aegisthus Thyestis filius; paucis annis post Orestes, Agamemnonis filius, qui apud peregrinos adolevit, in patriam redit et matri Aegisthoque mortem parat; quamquam autem Orestes Appollinis jussu matrem interfecit, tamen scelus committit et in Furiarum potestatem venit; sed jam dii novi eum servantes ne tota Atridarum gens intereat a scelere liberant. — Sicut in singulis hominibus, si unum scelus commiserunt, audacia et deorum despicientia semper crescit et ad alia scelera incitat, eodem modo in tota gente haec audacia ab alio ad alium transit; sicut igitur vulgo in singulis hominibus eodem modo in tali gente numen quoddam versari creditur. Nominaverunt hoc numen, quod per totam gentem quasi regnat, Graeci *ἀλάστορα* sive *δαίμονα γεννᾶς*. Sicut in singulis hominibus, priusquam hoc numen eorum animos occaecare potest, suo arbitrio primum scelus commiserint oportet, in tota gente quoque tum demum *ἀλάστωρ*, si unus ex gente suo arbitrio scelus commisit,

alios gentis cives ad alia scelera ducere potest. Plerumque si talis gentis quasi devotae scelera contemplamur, primum quidam parricidio se inquinavit; jam alius ejusdem gentis, quod ultionem parricidii necessariam esse et interfectum ut qui interfecerit eadem poena puniatur valde optare Graeci crediderunt, eodem modo scelus facit, et sic in tali gente nunquam calamitates desinunt. Sic videtur *ἀλάστωρ* quasi genius talionis; sed monendum est, hunc *ἀλάστορα* in eum solum habere vim, qui non justo modo talionis jus persolvat; ex antiqua Graecorum sententia jus talionis est sanctissimum, debet filius patrem ulcisci, dii ipsi hanc ultionem postulant, sed cavendum est, ne quis in talione novum flagitium faciat.

Aeschylum re vera in gente Atridarum tale numen divinum agere putare, satis clare cum ex aliis tum ex Agamemnonis loco v. 1568 sqt. elucet quo optat Clytaemnestra ut tandem hoc numen genti parcens ad aliam gentem transeat.

Sed jam hujus *ἀλάστορος* naturam accuratius contemplemur. Agamemnon ut jám supra dixi, patris culpam quasi hereditate accipit; jure igitur talionis Aegisthus de Agamemnone debet poenas sumere. Agamemnon ipse scelus committit filiam mactans, et hoc quoque eodem jure talionis debet puniri, nam est Jovis lex sanctissima ut par pari referatur — *παθεῖν τῷ δράσαντι.* Nec negat Aeschylus, Agamemnonem re vera huic talionis legi succumbere, quod docent haud pauci loci, ut Ag. versus 1338 sqt.

νῦν δ' εἰ προτέρων αἷμ' ἀποτίσει
καὶ τοῖσι θανοῦσι θανὼν ἄλλων
ποινὰς θανάτων ἐπικρανεῖ,
τίς ποτ' ἂν εὔξαιτο βροτῶν ἀσινεῖ
δαίμονι φῦναι τὰδ' ἀκούων.

Praesertim Clytaemnestra ipsa quam vehementissime contendit, Agamemnonem suo jure lege talionis necatum esse, ut in Ag. v. 1397 sqt. Jam igitur Clytaemnestra et Aegisthus ultorum munus suscipiunt; conjunctis consiliis Agamemnonis caedem praeparant, quam sola Clytaemnestra perficit. Vindicat igitur ab Agamemnone et ejus scelus et Atrei facinus, ut ipsa ait Ag. v. 1523 sqt. in Agamemnone esse jus talionis ratum, luere eum culpam, quam filia mactata contraxerit.

Ag. v. 1497 ff. extant:

αὐχεῖς εἶναι τόδε τοὔργον ἐμόν·
μηδ' ἐπιλεχθῇς
Ἀγαμεμνονίαν εἶναί μ' ἄλοχον.
φανταζόμενος δὲ γυναικὶ νεκροῦ
τοῦδ' ο παλαιὸς δριμὺς ἀλάστωρ
Ἀτρέως χαλεποῦ θοινατῆρος
τόνδ' ἀπέτισεν.
τέλεον νεαροῖς ἐπιθύσας,

poenas igitur paterni flagitii dat Agamemnon; est autem id monendum: Agamemnon non plane insons est flagitii paterni; cum patris flagitium luat, simul suum flagitium paterni simillimum luit; sicut enim pater regnandi cupiditate peccavit, sic Agamemnon quoque eadem de causa filiam mactavit; sicut igitur a patre flagitium accepit sic sensus quoque patris laudis cupidissimus ei hereditate venit et sic est quasi patris flagitii particeps. Non Aegisthus ipse, quod debebat, has poenas ab Agamemnone sumit sed Clytaemnestrae utitur manibus aut ut chorus ei objicit ignavia ductus aut ut ipse ait in Ag. v. 1636 f.

τὸ γὰρ δολῶσαι πρὸς γυναικὸς ἦν σαφῶς·
ἐγὼ δ' ὕποπτος ἐχθρὸς ἦ παλαιγενής.

Jam quae in Agamemnonis caede ἀλάστορος sint partes quaeritur. Dicit chorus in Ag. v. 1469 sqt.

δαῖμον, ὃς ἐμπίτνεις δώμασι καὶ διφυίοισι Τανδαλίδαισιν,
κράτος τ' ἰσόψυχον ἐκ γυναικῶν
καρδιόδηκτον ἐμοὶ κρατύνεις,

ἀλάστωρ igitur ut antiqua Atridarum scelera puniat Helenam et Clytaemnestram ad alia facinora nefaria incitat; itaque jam Helena adjutrice, quae Agamemnonis interitum acceleret, ἀλάστορα usum esse poeta fingit; videmus ἀλάστορος munus in poenis, quibus Agamemnon et paternum flagitium Aegistho et suam culpam filia mactata contractam uxori luit; non debebat Agamemnon in bello necari; semper ex omnibus periculis a diis servatur ut postea secundum talionis legem ab iis, quibus est haec talio praestanda, interficiatur.

Cum autem ἀλάστωρ ne impunitus maneat Agamemnon curet, cum summa cum industria ejus poenam agat, cur Atreus, cujus flagitium nobis videtur multo scelestius, non jam succu-

buerit ultioni ἀλάστορος, quaerat quispiam; sed cum ἀλάστορος munus sit id, ut per eos, quibus jus talionis perficere est, ultionem capiat, non ipse sua manu puniat, in Atreum non potuit agere, nam Thyestes e patria ejectus fratri mortem parare non potuit et in eadem conditione tum versatus est Aegisthus, quem praeterea, donec Atreus vixit, infantem fuisse est verisimile.

Fungitur autem ἀλάστωρ vice Jovis, nam Jovis est lex talionis, quod docent Agamemnonis versus 1485 sqt. Cum Jovis leges sint immutabiles quin ἀλάστωρ jam in Clytaemnestram Aegisthumque vim suam exerceat fieri non postest: cum per eos Agamemnonem puniat, simul est auctor novi sceleris, provocat ex sceleribus nova scelera, quae rursus sunt punienda; nequidquam ἀλάστορα placare Clytaemnestra optat Ag. v. 1568 sqt. nequidquam choreutae gladiis strictis de Aegistho poenas capere tentantes quasi ἀλάστορος partes suscipere volunt; est ex lege talionis officium Orestis caedem patris ulciscendi sanctissimum; ἀλάστωρ eum quam vehementissime ad ultionem incitat; sed cum patris sit parricida mater, igitur, cum Orestes si talionis jus perficit novum scelus committat, hac quoque Clytaemnestrae morte ἀλάστωρ non placatur. Sic in tali gente ἀλάστορος vim esse perpetuam videmus; nunquam ex dura talionis lege scelera in tali gente possunt finiri Itaque jam dii legibus mitioribus Orestem culpa liberantes Atridarum gentem ab interitu tuentur. In gente Labdacidarum, quae eadem calamitate laborat, tum demum ἀλάστωρ, cum tota gens deleta sit, munus suum finit, Sept. v. 960

καὶ δυοῖν κρατήσας ἔληξε δαίμων.

Jam quanta sit ἀλάστορος vis ex Aeschyli sententia, quid censeat, num nemo qui in tali gente sacrata natus sit, hunc ἀλάστορα possit effugere, cum sit quaerendum, certe eum id negare cognoscimus. Concedit enim, talem hominem facillime posse scelera facere, quod deus eum in discrimen ducat, sed coactum ut peccet eum esse omninoque quin scelera committat facere non posse minime concedit, sed semper esse in ejus potestate aut bona aut mala facere. Itaque semper, si quis flagitium suum, quod ab alastore ductus sit ad scelera, excusat, certis verbis haec excusatio rejicitur et tota culpa homini ipsi objicitur. Sic cum Clytaemnestra se caede conjugis expedire velit dicens, non se sed gentis ἀλάστορα Agamemnonem inter-

fecisse Ag. v. 1500 sqt. chorus nullo modo scelere eam absolvi respondet v. 1505 sqt. id autem concedit gentis ἀλάστορα in caede Clytaemnestram adjuvisse:

πατρόθεν δὲ συλλήπτωρ γένοιτ' ἂν ἀλάστωρ.

Quamvis igitur Agamemnonem non sine jure interfectum esse negari non possit atque re vera ἀλάστορα caedis fuisse participem concedatur, tamen Clytaemnestra plane damnatur: Iphigeniae sacrificatio sane puniri debet, sed non est Clytaemnestrae conjugi manus inferre. Neque hac re potest excusari, quod subito ἀλάστορος impetu ducta Agamemnonem interfecerit, nam per longum tempus hanc caedem in animo movit et bono cum consilio commisit. Denique Clytaemnestra non solum hac re, ut pro Iphigenia filia Agamemnonem ulciscatur ad caedem impulsa est, sed quod jam novo scelere lascivis Aegisthi amoribus est implicita. Impugnant quidem nonnulli viri docti, Clytaemnestram ob hunc amorem nefarium ad Agamemnonis caedem accessisse, nam nunquam eum commemorari, sed quamquam certis verbis non commemoratur, tamen haud paucis locis tangitur, ut in Ag. v. 1446 sqt.

ἐμοὶ δ' ἐπήγαγεν
εὐνῆς παροψώνημα τῆς ἐμῆς χλιδῆς.

in Choeph. v. 905 sqt.

Alia causa est, quod Agamemnoni, qui cum Cassandra aliisque feminis Trojanis consueverit, irascitur Ag. 1438 sqt. Deinde hac re Clytaemnestrae flagitium fit scelestius, quod Agamemnonem conjugem necans simul regem a diis victoria splendidissima ornatum interficit, Eum. v. 625 sqt. et quod liberorum immemor patrem iis rapit, Eum. v. 602

ἀνδροκτονοῦσα πατέρ' ἐμὸν κατέκτανε.

Quae omnia Clytaemnestram a caede debebant arcere sed tantum abest, ut de his cogitans a scelere abhorreat ut eo peracto etiam majus flagitium reddat, quod in liberos quoque odium effundit, neque in illa domo, qua conjugem interfecit, manere dubitat Aegisthumque in eam recipit maritum Choeph. 132 sqt. Eodem modo Eteoclem qui se a gentis daemone ad fratris caedem incitari contendit, nihil juvat haec excusatio; semper chorus nihilominus eum debere ab hoc flagitio abstinere respondet.

Sic homines ipsi ἀλάστορος vim non tantam esse, ut ei

omnino resisti non possit putant, sed deos quoque nequaquam hominis culpam ab alastore provocatam minorem quam aliam ab homine sua sponte commissam accipere jam ostendam. Et primum quidem pauca de conscientia, qua Graeci homines sceleratos morderi putaverunt afferam, quod ex his quoque hominibus totam culpam a diis tribui neque illum solum, qui sua sponte scelus fecerit, sed eum quoque qui in gente ab alastore tentata ab hoc ad peccata incitetur, hoc animi angore vexari elucet.

Qua de animi aegritudine Aeschylus cum nonnullis locis verba facit, sicut in Ag. v. 179, ubi homo nefarius dormiens somniis horrendis vexatur — *στάζει δ' ἐν ὕπνῳ πρὸ καρδίας μνησιπήμων πόνος* — tum praeclarissime in Oreste a Furiis vexato quasi ante oculos eam nobis ponit: quamquam enim Orestis caedem patris ulciscendi officium erat, quamquam ab Apolline ipso non solum Aegisthum sed etiam matrem interficere jussus erat, tamen angorem, qui vehementissime animum semper cruciat, effugere non potuit. Jam priusquam ad matris caedem accedit, conscientia mordetur dicens Choeph. v. 899: *Πυλάδη, τί δράσω; μητέρ' αἰδεσθᾶ κτανεῖν*; et fortasse matrem non necavisset nisi Pylades Apollinis jussa in memoriam ei reduxisset. Sed statim caede facta se scelus commisisse cognoscit. Hoc ex Orestis exemplo qualis sit hic conscientiae angor ex Graecorum opinione optime videmus: cum enim hominem sceleratum nunquam animo tranquillo uti sed scelerum onere paene opprimi semperque desperatum vagumque agitari animadvertissent, mox numen quoddam, quod hominem nefarium vexare neque unquam eum persequi desinat, adesse crediderunt. Sic apud Aeschylum statim post caedem Clytaemnestrae Furiae appropinquant, quae Orestis animum magno timore afficiunt mentemque perturbant; Choeph. v. 1048 sqt.

δμωαὶ γοναῖκες, αἵδε Γοργόνων δίκην
φαιοχίτωνες καὶ πεπλεκτανημέναι
πυκνοῖς δράκουσιν· οὐκέτ' ἂν μείναιμ' ἐγώ.

Vehementer assidueque ab iis vexatus per multas terras Orestes errat, nusquam ei ab illis otium est et certe demum confectus esset, nisi alii dii eum defendissent et ab hac calamitate liberassent. — In Choeph. v. 583 sqt. Orestes, quas

poenas sibi Apollo minitatus sit si patris mortem non ulciscatur narrans impetus quoque Furiarum — *προσβολὰς Ἐρινύων* — affert, qui gravissimos timores paraturi sint: qui interfectus est a Furiis ut puniant interfectorem petit et libentissime Furiae hoc munus suscipiunt, tantum in illius animo angorem tantumque pudorem excitant, ut neque ad deorum aras neque ad hominum aedes venire audeat. Aliis locis sicut in Eum. v. 168 hic animi angoris auctor nominatur *προστρόπαιος*, id est numen divinum, quod interfectus appellat, et eodem loco *μιάστωρ*, qui persequitur parricidam. — (De voce *προστρόπαιος* alio proprio sensu usurpato infra dicam). — Hic miretur quispiam, quomodo fiat, ut Clytaemnestra hac animi aegritudine non opprimatur, quamvis haec quoque scelus commiserit gravissimum? Et sane Orestes quoque quod illam non vexaverint Furias accusat in Eum. v. 604

τί δ' οὐκ ἐκείνην ζῶσαν ἤλαυνες φυγῆ;

(De his quae ad haec Furiae respondent v. 605

οὐκ ἦν ὅμαιμος φωτος, ὃν κατέκτανεν

infra dicam); sed res fere sic se habet: Clytaemnestra maxima cum audacia omnes conscientiae impetus rejicit Ag. v. 1371 sqt. persuadet quasi sibi ut sit caedis plane insons, tanta est in ea libidinum vis, ut omnino ad cogitationem de sua culpa non adducatur, opprimit igitur quasi vocem conscientiae; praeterea tantam in Aegisthi auxilio potentiaque ponit fiduciam, ut se neminem timere pronuntiet, Ag. v. 1412 sqt.

Tandem apud Graecos opinionem, mortuos ipsos ut eorum, a quibus interfecti sint, vexent animos in lucem prodire invenimus: sic Clytaemnestra ab Agamemnone sibi illud horribile somnium missum esse putat, quapropter ut illum placet statim ei inferias instituit; sic in Choeph. v. 435 Orestes patrem, ut in ultione sibi auxilium ferat, appellat.

Est autem hic animi angor quasi divina vox hominibus innata, quae aut homines a sceleribus dehortans aut sceleribus perfectis deorum iram semper iis in memoriam redigens aperte docet minime deos scelerum culpam sibi assignare sed semper hominibus tribuere.

Deinde hac re Aeschylus homines invitos ad scelera non duci demonstrat, quod dii hominem qui in gente ab alastore

tentata natus est cum peccaverit eodem modo quo alios homines sceleratos puniunt. Jam cum deos injustos non esse semper contendat, certe iis nulla culpa in hominum sceleribus tribui potest, nam si scelerum participes sunt hominibus sceleratis debent parcere.

Sic quomodo fiant peccata ostendisse mihi videor et jam ad aliam partem transeo, qua demonstrare conabor:

III. Quomodo peccata puniantur?

Cum jam saepius ex Aeschyli sententia deos esse sine omni peccata demonstraverim, ut homines peccatos oderint sequitur, id quod Aeschylus haud raro docet ut in Suppl. v. 80 *ὕβριν δ' ἐτύμως στυγοῦντες.* Cum deinde omnibus hominibus piis temperantibusque sint propitii praemiisque eos ornent, Ag. v. 950 spt.

τὸν κρατοῦντα μαλθακῶς
θεὸς πρόσωθεν εὐμενῶς προσδέρκεται.

contra impios puniunt; et tam certe Graecis est persuasum ut nunquam dii homines nefarios sinant impunitos, ut eos cum nefariis insontem hominem perdere quam ob hunc aliis ignoscere malle credant: Sept. v. 601 sqt. Est poena scelerum merces Jam quaeritur, quanam ratione dii peccata puniant, id est qua regula in puniendo utantur? Sicut in hominum commercio Graecis minime inhonestum videtur, homini adversario quantum possint nocere, sicut sine omni dubitatione jus esse fasque adversarios odi pronuntiant Prom. v. 978

νοσοῖμ' ἂν, εἰ νόσημα τοὺς ἐχθροὺς στυγεῖν.

(cfr. Choeph. v. 123) et semper id student, ut iis idem quod sibi sit allatum referant Sept. v. 637 sqt.

ἢ ζῶντ' ἀτιμαστῆρ' ὅπως ἀνδρηλάτην
φυγῇ τὸν αὐτὸν τόνδε τίσασθαι τρόπον.

sicut in hominum judiciis ea est regula, ut poena, qua quis punitur, delicto conveniat planeque sit aequa, sic quoque deorum esse rationem, semper par pari referre, id est eum, qui peccaverit codem modo quo deliquerit punire satis constat; atque etiam *Ῥαδαμάνθυος* judicis justissimi regula est haec:

εἰ δὲ πάθοι τά τ' ἔρεξε, δίκη κἠθεῖα γένοιτο

Aristot. Eth. Nic. V, 5, 3.

Sic Aeschylus quoque praesertim in Orestia sua hoc maxime notat, deos semper hominum delicta poena pari punire et hominum quoque esse, aliorum scelera non impunita omittere. Itaque quodque peccatum poenam meritam accipit; sic in Ag. v. 532 sqt. nuntius exclamat:

Πάρις γὰρ οὔτε συντελὴς πόλις
ἐξεύχεται τὸ δρᾶμα τοῦ πάθους πλέον

sic Clytaemnestra in Ag. v. 1526 sqt. dicit, Agamemnonem filiam, se Agamemnonem interfecisse et cum merito idem quod paraverit illi, ei acciderit — *ἄξια δράσας ἄξια πάσχων* — in Tartaro eum gloriari non posse nam filiae caedem sua morte solvisse. Dii ipsi hanc legem *δράσαντι παθεῖν* instituerunt; in Ag. v. 1563 sqt.

μίμνει δὲ μίμνοντος ἐν θρόνῳ Διὸς
παθεῖν τὸν ἔρξαντα. θέσμιον γάρ.

Choeph. v. 309 sqt.

ἀντὶ μὲν ἐχθρᾶς γλώσσης ἐχθρὰ
γλῶσσα τελείσθω· τοὐφειλόμενον
πράσσουσα Δίκη μέγ' ἀύτεῖ,
ἀντὶ δὲ πληγῆς φονίας φονίαν
πληγὴν τινέτω. δράσαντι παθεῖν
τριγέρων μῦθος τόδε φωνεῖ

Ag. v. 1329 sqt. — Itaque homines deos haud raro rogant, ut hac talionis lege viros nefarios puniant, ut in Sept. v. 483 sqt. chorus Jovem, qui hostibus superbis impiisque justam mittat poenam advocat ut in Choeph. v. 118 chorus Electram cohortatur, ut deum, qui patris caedem caede puniat, precibus advocet. Proprie igitur Jupiter nominatur *νεμέτωρ*, est quasi proprium ejus munus puniendi; instituit poenam, ne qui leges sanctas violaverint, maneant impuniti. Homines ipsi nefarii si puniuntur, se justo modo idem quod aliis fecerint, pati agnoscunt, ut Clytaemnestra exclamat in Choeph. v. 888

δόλοις ὀλούμεθ', ὥσπερ οὖν ἐκτείναμεν.

Apollo quamquam aliter quoque Clytaemnestram Aegisthumque perdere potest, accuratissime quomodo eos interficiat, Oresti praecipit: sicut hi Agamemnoni mortem cum dolo paraverint, sic cum dolo ipsi debent interfici; Choeph. v. 555 sqt.

αἰνῶ δὲ κρύπτειν τάσδε συνθήκας ἐμας,
ὥς ἂν δόλῳ κτείνατες ἄνδρα τίμιον
δόλῳ τι καὶ ληφθῶσιν ἐν ταὐτῷ βρόχῳ
θανόντες, ἧ καὶ Λύξιας ἐφήμισεν.

Sicut autem in hominum judiciis ab eo qui aliquam reipublicae legem violavit poena repetitur non solum ea de causa, ut quasi mercedem sceleris accipiat sed etiam ut hac poena a culpa quasi liberetur, quia id quod deliquit pari suo damno quasi restituit, sic dii quoque cum puniant, id spectant, ut hominem nefarium hac poena a culpa liberent. In Choeph. v. 803 sqt. extant;

ἄγετε, τῶν πάλαι πεπραγμένων
λύσασθ' αἷμα προσφάτοις δίκαις.
γέρων φόνος μηκέτ' ἐν δόμοις τέκοι.

vetus igitur scelus nova caede expietur, ne scelus prorsus in Atridarum gente scelus gignat: si Aegisthus et Clytaemnestra poenam justam expenderunt atque sic culpae veteri finis est constitutus, chorus sperat, tum gentem in posterum a calamitatibus liberam futuram esse; et deinde cum Clytaemnestra et Aegisthus Orestis plagis succubuerint chorus (v. 961 sqt.) laetitia exultat, quod hac caede tandem Atridarum gens e scelerum onere erepta sit. Quae cum ita sint in poena simul vim expiandi inesse neque solum singulos homines sceleratos, postquam poenas recte absolverunt, sed etiam totam gentem sceleratam, postquam tandem aliquando justo modo scelus punitum est, ab culpa aliisque calamitatibus liberari cognoscimus.

Postremo dii eo consilio homines puniunt, ut eos ab aliis flagitiis deterreant iisque deos peccata impunita non omittere demonstrent, ut quae sint sibi grata eos doceant rectamque in viam eos reducant Timorem igitur poena dii hominibus injiciunt redduntque eos meliores; Ag. v. 250

Δίκα δὲ τοῖς μὲν παθοῦσιν μαθεῖν ἐπιῤῥέπει.

Justitiam calamitatibus homines docere chorus dicit.

Ag. v. 176 sqt.

τὸν φρονεῖν βροτοὺς ὁδώσαντα, τὸν πάθει μάθος
θέντα κυρίως ἔχειν.
στάζει δ' ἔν θ' ὕπνῳ πρὸ καρδίας
μνησιπήμων πόνος· καὶ παρ' ἄκοντας ἦλθε σωφρονεῖν

Jupiter igitur doloribus ad temperantiam homines ducit et horribili angore in somniis misso iis sensum prudentem dat invitis Cfr. Eum. v. 116 sqt.

Sed dii poenis non solum homines sceleratos ipsos, quos puniunt, ab aliis flagitiis retinere volunt, sed etiam ut alii, quo modo scelerati puniantur videntes vitent scelera, spectant. Id Darius dicit in Pers. 818 sqt.

θῖνες νεκρῶν δὲ καὶ τριτοσπόρῳ γονῇ κτλ. (cfr. supra) et deinde v. 823 sqt.

τοιαῦθ' ὁρῶντες τῶνδε τἀπιτίμια
μέμνησθ' Ἀθηνῶν Ἑλλάδος τε, μηδέ τις
ὑπερφρονήσας τὸν παρόντα δαίμονα
ἄλλων ἐρασθεὶς ὄλβον ἐκχέῃ μέγαν

Itaque Oceanitides turpem Promethei poenam lugentes ne unquam ut Prometheus ullo flagitio Jovis iram excitent, valde optant; Prom. v. 526 sqt.

Saepe chorus, cujus omnino est fabulae principem adjuvare, si hic quid nefarii suscipere vult, quibus poenis alius homo simile facinus committens a diis punitus sit, affert, quo illum a scelere retineat.

Sicut nos habemus proverbium „calamitas docet precari,“ Graeci quoque homines nefarios calamitatibus oppressos ad temperantem piumque in deos sensum venire putant, ut nuntius in Pers. v. 497 sqt. gravibus Persarum damnis narratis haec dicit

θεοὺς δέ τις
τὸ πρὶν νομίζων οὐδαμοῦ τότ' ηὔχετο
λιταῖσι γαῖαν οὐρανόν τε προσκυνῶν

Utuntur igitur dii poena quasi monitu; vitant homines scelera praesertim ea de causa, quod timent poenas. Quam ob rem Furiae, cum dii novi iis Orestem velint detrahere, se munere suum puniendi esse depositurus minitantur; tum homines omni a timore liberati ut scelera committant fore neve deorum leges observent, nam timorem maxime homines a sceleribus retinere Eum. v. 490 *οὐδὲ γὰρ βροτοσκόπων μαινάδων τῶνδ' ἐφέρψει κότος τις ἐργμάτων.*

Jam supra inter Graecos constare semper poenam pro quoque scelere venire dixi, jam attuli locos Sept. v. 601 sqt. et 483 sqt. Certissime sperat in Agamemnonis tragoedia cho-

rus Clytaemnestram et Aegisthum non inpunitos mansuros esse. Non autem semper statim, sed saepe longo tempore interjecto demum scelus quoddam punitur, sic Electra hac de sera poena dicit in Choeph. 382 sqt.

Ζεῦ, Ζεῦ, κάτωθεν ἀποπέμπων
ὑστερόποιναν ἄταν.

sic Orestes demum sero domum redit, ut tandem patris necem ulciscatur; sic Aegisthus, cum se infante patri Thyesti ab Atreo flagitium turpissimum paratum sit, quod tandem aetate adulta ob hoc Agamemnonem punierit, valde gaudet in Ag. v. 1605 sqt. sic Danaus firmam in diis ponit fiduciam; suo tempore, dicit, dii nefarium punient in Suppl. v. 732 sqt.

θόρσει· χρόνῳ τοι κυρίῳ τ' ἐν ἡμέρᾳ
θεοὺς ἀτίζων τις βροτῶν δώσει δίκην.

cfr. Choeph. 61 sqt. 651.

Jam autem Graeci haud raro homines sceleratos, qui nondum poenas accepissent, mortuos esse animadverterunt. Quae cum deorum justitiae contraria viderentur Graeci ut deos ab opprobrio liberarent, aut illos homines post obitum poenas soluturos esse aut pro illis alios seu filios seu nepotes accepturos putabant. Nullo loco, ni fallor, Aeschylus homines bonos post mortem pro bonis suis rebus gestis a diis praemiis ornari dicit; sane in Persis saepius Darius mortuus appellatur *ἰσοδαίμων βασιλεύς* (633) *δαίμων* (620) *δαίμων μεγανχῆς* (641) *Περσᾶν θεός* (642) et huic item atque Agamemnoni ab hominibus sacra feruntur, credas igitur, hos post mortem vitam beatam jucundamque agere, sed ipsius Darii verba, cum jam evanescens exclamet v. 840 sqt.

ὑμεῖς δὲ, πρέσβεις, χαίρετ', ἐν κακοῖς ὅμως
ψυχὴν διδόντες ἡδονῇ καθ' ἡμέραν,
ὡς τοῖς θανοῦσι πλοῦτος οὐδὲν ὠφελεῖ,

satis clare docere videntur, nullo gaudio mortuos uti, quapropter senes donec vivant ut furtunis suis delectentur Darius hortatur. Contra Aeschylum re vera putare homines sceleratos scelerum poenas post mortem accipere plures loci aperte docent: sic Furiae Oresti indicant eum in Tartaro dolores laturum esse quam vehementissimos, nam qui in terra vel deos vel

jura parentum vel hospitium violaverit, cum in Tartaro juste judicatum iri, Eum. v. 267 sqt.

καὶ ζῶντά σ' ἰσχνάσασ' ἀπάξομαι κάτω,
ἀντίποιν' ὡς τίνῃς ματροφόνου δύας.
ὄψει δὲ κἀί τις ἄλλος ἤλιτεν βροτῶν
ἢ θεὸν ἢ ξένον τιν' ἀσεβῶν ἢ τοκέας φίλους,
ἔχονθ' ἕκαστον τῆς δίκης ἐπάξια.
μέγας γὰρ Ἅιδης ἐστὶν εὔθυνος βροτῶν
ἔνερθε χθονὸς, δελτογράφῳ δὲ πάντ' ἐπωπῇ φρενί.

et similiter de homine scelerato extat in Eum. v. 340

θανὼν δ' οὐκ ἄγαν ἐλεύθερος

et item de hospitii violatore In Suppl. v. 414 sqt.

ἐκδόντες ὑμᾶς τὸν πανώλεθρον θεὸν
βαρὺν ξύνοικον θησόμεσθ' ἀλάστορα,
ὃς οὐδ' ἐν Ἅιδου τὸν θανόντ' ἐλευθεροῖ.

et item de eo, qui virginem consanguineam invitam in matrimonium vult ducere Suppl. v. 228 sqt. cfr. Sept. v. 1017 sqt.

Opinionem Graecorum, qua pro patrum sceleribus aut filii aut nepotes puniuntur, jam supra attigi: affero nonnullos locos: Eum. v. 932 sqt.

ὁ δὲ μὴ κύρσας βαρεῶν τούτων
οὐκ οἶδεν ὅθεν πληγαὶ βιότου;
τὰ γὰρ ἐκ προτέρων ἀπλακήματά νιν
πρὸς τάσδ' ἀπάγει, σιγῶν ὄλεθρος
καὶ μέγα φωνοῦντ'
ἐχθραῖς ὀργαῖς ἀμαθύνει.

Suppl. v. 434 sqt,

Ag. v. 374 extat, errare cum, qui contendat, deum non ut jus servetur procurare nam

πέφανται δ' ἐκγόνους
ἀτολμήτων Ἄρη
πνεόντων μεῖζον ἢ δικαίως κτλ.

Cfr. Ag. 1338. 1582.

Cohaeret haec opinio cum illa, de qua supra dixi, qua filii viri scelerati vel nepotes ad scelera coguntur neque raro filiorum scelera simul sunt poenae pro patrum peccatis missae, sicut Agamemnon Iphigeniae immolatione et scelus committit et pro patris flagitio in Thyestis filiis perpetrato punitur.

Hic fortasse quaerendum sit, num dii qui pro parentum sceleribus liberos ulciscuntur, bonaquoque parentum facinora liberis assignent et parentibus quasi gratias ferentes liberos ornent praemiis? Quamvis igitur haud raro filii, si quid a diis exposcunt, iis quasi in memoriam revocent bona parentum facinora, ut Orestes, cum deorum auxilium in patris ultione postulet, Choeph. v. 255 multa sacra a patre diis oblata commemorat et sic deos quasi debere auxilium ferre dicit, tamen contendere vix audeo, esse Graecorum opinionem vulgatam, deos propter parentes pios filiis quoque favere.

Restat ut quis puniat interrogemus. Cum ut supra demonstravi Jupiter omnium deorum summus hominibus leges, quibus vivant agantque, dederit, Jovem quoque, ne, qui has leges violaverint, maneant impuniti, providere facile apparet. Itaque Danaidae, cum Argivorum regem, ne auxilium sibi neget hortentur, quod si neget et eum et ejus gentem poena afflictura sit, nominant hanc poenam Suppl. v. 437 *δίκαια Διόθεν κράτη*. Jupiter enim jus hospitii hominibus dedit, itaque ut homines id observent procurat. Sic Trojani Paridem, qui hoc jus in Helenae raptu fregit, tuentes Jovis iram subeunt et Ag. v. 367 sqt.

Διὸς πλαγὰν ἔχουσιν εἰπεῖν
πάρεστι τοῦτο γ' ἐξιχνεῦσαι.
ἔπραξεν ὡς ἔκρανεν.

Sic loco supra allato Ag. v. 1563 sqt. certis verbis talionis legem a Jove esse institutam dicitur; sic vocatur Jupiter scelerum ultor in Pers. 827 sqt.

Ζεύς τοι κολάστης τῶν ὑπερκόπων ἄγαν
φρονημάτων ἔπεστιν, εὔθυνος βαρύς.

Cfr. Suppl. v. 403 sqt. Choeph. 365 sqt.

Itaque homines ut malum sibi ab alio homine allatum dii puniant precantes Jovem plerumque appellant, ut Orestes a Jove precatur, ut tandem manu sua Aegisthi Clytaemnestraeque capita findat et ut fides redeat antiqua consulat Choeph. 394 sqt. ut Electra ut tandem pro patre ultionem mittat Choeph. 382 sqt.

Ζεῦ, Ζεῦ, κάτωθεν ἀποπέμπων
ὑστερόποιναν ἄταν
βροτῶν τλάμονι καὶ πανούργῳ
χειρὶ, τοκεῦσι δ' ὅμως τελεῖται.

Jovis est, cum homines interficere alios vetuerit, eos qui contra hoc interdictum egerint punire.

Sed haud raro alios quoque deos homines punire legimus; non miramur, quod Diana Agamemnonem punit, nam cum Diana sit pullorum infantiumque tutrix maxime Thyestis infantibus mactatis violata est; est ei a Jove illud munus tuendi pullos tributum, est igitur Dianae ab iis, qui peccata ad hoc pertinentia commiserint, poenas sumere; eodem modo Neptunus Xerxi maxima damna parat, nam hujus iram Xerxes maxime incitavit, cum eum frenis quasi coercere ausus sit.

Jam autem alii quoque dii non ipsi ab hominibus violati eos qui contra Jovis leges egerunt puniunt. Sic saepissime Justitia dea poenas perficit. Cum justitia propria sit Jovi, Justitia dea est haec Jovis justitia, ut Graeci singulas Jovis vires saepissime pro separatis diis accipiunt, ut in Prometheo *Κράτος* et *Βία* significant Jovis potentiam; itaque Justitia nominatur Jovis filia Sept. v. 662

εἰ δ' ἡ Διὸς παῖς παρθένος Δίκη παρῆν

et facile eam a patre jussam punire apparet; nec mirum est, quod huic deae Graeci saepissime castigationem tribuunt, quod justitiae virtus maxime ab hominibus nefariis violatur; Choeph. v. 946 sqt.

ἔμολε δ' ᾧ μέλει κρυπταδίου μάχας δολιόφρων ποινά·
ἔθιγε δ' ἐν μάχᾳ χερὸς ἐτητύμως
Διὸς κόρα· Δίκαν δέ νιν
προσαγορεύομεν βροτοὶ τυχόντες καλῶς·

Si Clytaemnestra Agamemnonem redeuntem simulato cum gaudio salutans dicit in Ag. v. 910 sqt.

εὐθὺς γενέσθω πορφυρόστρωτος πόρος
ἐς δῶμ' ἄελπτον ὡς ἂν ἡγῆται Δίκη.
τα δ' ἄλλα φροντὶς οὐχ ὕπνῳ νικωμένη
θήσει δικαίως σὺν θεοῖς εἱμαρμένα,

Agamemnoni quidem suspicio non existit, nos autem scelerata Clytaemnestrae consilia cognoscentes, quid ea his verbis usa censeat, intelligimus: gaudet enim, quod Justitia Agamemnonem, ut poenas accipiat, domum reduxerit. Eodem sensu Clytaemnestra per Justitiam, quae injustam Iphigeniae caedem ab

Agamemnone ulta sit, jurat, se non timere, ne sibi calamitas accidat, Ag. v. 1412.

Cum in Eum. v. 274 sqt. extet

μέγας γὰρ Ἅιδης ἐστὶν εὔθυνος βροτῶν
ἔνερθε χθονὸς, δελτογράφῳ δὲ πάντ' ἐπωπᾷ φρενί.

dubitare non possumus, quin *Ἅιδης* vice Jovis fungatur, nam Jupiter in Tartaro quoque est summus rex neque raro *Ἅιδης* nominatur Jupiter, quod docent Choeph. v. 382 sqt.

Ζεῦ, Ζεῦ κάτωθεν ἀποπέμπων κτλ. (cfr. supra)

et Suppl. v. 230 sqt.

Cum deinde Mercurius Jovis jussa perficiat et quasi sit Jovis minister, chorus Mercurium appellat, ut Orestem in caede adjuvet Choeph. v. 813 sqt.

Etiam inviti debent dii Jovis jussu poenas persequi ut Vulcanus, quamquam eum maxime Promethei miseret, hunc vinculis rupibus affigere debet, nisi ipse in iram Jovis intolerabilem vult incurrere. —

Praeterea Jupiter hominum quoque manibus, qui sceleratos puniant, utitur ut per Graecos a Paride Trojaque jus hospitii violatum vindicat, Ag. v. 60 sqt. ut Orestem, qui parricidas interficiat mittit. Deinde Jupiter, ut homines scelerati suis manibus se puniant saepe instituit, quod quae supra de vocibus *ἄτη μοῖρα ἀλάστωρ* dixi satis docent. Praesertim vox *ἄτη*, quam arcte Graecorum sententia poena a diis missa et hominum culpa inter se cohaereant, ostendit, nam *ἄτη* (a verbo *ἀάω* ducta) significat et occaecationem mentis humanae, qua hominis scelerati mentem dii corrumpunt, et hominum culpam, quam mente corrupta faciunt, et damnum, quo pro culpa illa puniuntur.

Plerasque autem gravissimasque poenas Furiae — *Ἐρινύες* — hominibus parant. Vox *Ἐρινύς* ducta est a verbo antiquo *ἐρινύειν*, quod significat irasci, ut docet Pausanias VIII, 25, 4. Vt recte Furiarum naturam munusque cognoscamus, repetenda est illa talionis lex, qua par pari refertur, qua praesertim ejus, qui alius sanguinem hausit, sanguis hauriendus est, Choeph. v. 66 sqt.

δὶ αἵματ' ἐκποθένθ' ὑπὸ χθονὸς τροφοῦ
τίτας φόνος πέπηγεν οὐ διαῤῥύδαν.

Qui interfectus est in Tartaro irascitur ei, a quo necatus est; Choeph. v. 38 sqt. postulatque, ut jam supra dixi, ultionem; donec inultus est apud inferos auctoritate non fruitur (Eum. v. 94) caretque honoribus, quos superstites ei debent offerre Choeph. v. 315 sqt. Jam autem mortui ultionem iis, a quibus interfecti sunt, valent parare, quod Orestis Electraeque preces, quibus Agamemnon, ut ultionem juvet, postulatur, ostendunt, Choeph, v. 456

σέ τοι λέγω, ξυγγενοῦ, πάτερ, φίλοις.

v. 457 *ἐγὰ δ' ἐπιφθέγγομαι κεκλαυμένα.*

cfr. Choeph. 481 sqt. 491, 492, 495, 496; Eum. 598

πέποιθ', ἀρωγὰς δ' ἐκ τάφου πέμπει πατήρ.

Mortui enim anima ulciscendi cupidissima ab inferis ad lucem prodiens parricidas persequitur, cruciatque eos perpetuoque vexat; Choeph. v. 324 sqt.

τέκνον, φρόνημα τοῦ θανόντος οὐ δαμάζει
πυρὸς μαλερὰ γνάθος
φαίνει δ' ὕστερον ὀργάς.

sic in Eum. v. 94 sqt. Clytaemnestrae umbra prodit. Quam mortuorum iram vegetus vividusque Graecorum animus mox divina quadam specie induit, numinaque, quae hanc iram perficiendam susciperent adesse finxit. Cum igitur *ἐρινύς* certe primum mortuum irascentem ipsum vel mortui animam valde de malis sibi allatis dolentem poenasque petentem significaverit, jam *Ἐρινύες* sunt deae, quibus est omnibus suis viribus satisfacere interfectis eorumque hostes poenis affligere gravissimis. Satis clare e Clytaemnestrae e Tartaro prodientis verbis (Eum. v. 94 sqt.) elucet, mortuos Furiis ultionem tradere, et opprobria, quae Clytaemnestra Furiis facit, quod somnientes Orestem e manibus dimiserint, mortuos suo jure ut Furiae parricidas puniant, poscere docent.

Jam fieri non potuit, quin de Furiarum genere naturaque secundum hoc earum munus horribile cogitationes fingerentur horribiles, de quibus infra verba faciam. Apud Aeschylum, ut ita dicam, regnum deorum veterum durum Furiae repraesentant, id est utitur iis Aeschylus ut quomodo antequam Jupiter orbis imperium assecutus sit, egerint dii veteres, ostendat; in Furiis, si ita dicere licet, lex veterum deorum puniendi durissima quasi adumbratur.

Paucis verbis hoc loco Graecorum oppinio de variis deorum generibus, quae deinceps totius mundi dominationem obtinuerint, commemoranda est, sed ne longius aberrem Aeschyli tantum hac de re sententiam tango. — In Prometheo v. 197 sqt. narrat Prometheus quomodo Saturnus, veterum deorum summus, a Jove imperio pulsus sit; simul cum Saturno Titanes ejus socii in infima Tartari voragine sunt inclusi; jam Jupiter totius mundi dominationem suscipiens singulas regni partes singulis diis novis assignat; Prom. v. 228 sqt. et novam regnandi rationem instituit. Sed nihilominus ex veteribus diis nonnulli in novum Jovis regnum transeunt, sicut Prometheus, Oceanus, Furiae, alii; sed hos quoque nisi statim, tamen paullatim Jupiter ut secundum novas suas leges agant, cogit; sic Aeschylus in Promethei fabula, quomodo hunc Jupiter, quod jussis suis non obtemperet, poenis coerceat gravissimis ostendit, cum eadem in fabula alios deos veteres, Oceanum Oceanitidesque quamquam invitos tamen necessitati cedentes Jovis regnum agnoscere demonstret. Quomodo Furiae, quarum potestatem quam maximam describit, tandem ad novam Jovis dominationem se conforment, Aeschylus summa cum arte in Eumenidum fabula proponit.

Jam si quaerimus, quid Graecorum opinione inter veterum deorum novorumque dominatus intersit optime si Furiarum munus, quod depingit Aeschylus contemplamur, docemur. In Eum. v. 210 ipsae Furiae Apollini, quid sit earum munus interroganti respondent:

τοὺς μητραλοίας ἐκ δόμων ἐλαύνομεν

et cum Apollo, quod Clytaemnestram, quae maritum necaverit, non persequantur miretur dicens v. 211

τί γὰρ γυναικὸς, ἥτις ἔνδρα νοσφίσῃ;

dicunt:

οὐκ ἂν γένοιθ' ὅμαιμος αὐθέντης φόνος.

Clytaemnestram igitur non vexant, quod manus consanguineo non intulit; non Furiarum munus in eos, qui matrimonii jus violaverunt, pertinet. Contra Apollo, deus novus jus matrimonii esse justissimum, qui hoc frangat, eum esse vehementissime puniendum contendit Eum. v. 217 sqt.

Quae cum ita sint certe matrimonium veteribus diis regnantibus nondum sanctum habitum esse elucet, cum sub Jovis

imperio sanctissimum aestimetur. Ex his hoc concludimus: in veterum deorum regno omnino instituta, quibus Jupiter mores hominum duros mitiores redderet, sicut matrimonium, hospitium, alia nondum erant, sed naturae tantum jus valebat, id est ea tantum vincula, quae natura quasi ipsa statuebat, homines sancta habebant, ut quod est inter parentes et liberos. Quodsi Furiae sunt deae veteres, quibus est scelera leges violentia punire, proprium earum munus est, ea tantum flagitia, quae simplex naturae jus rumpunt, vindicandi. Hanc ob causam nominantur Furiae in Choeph. v. 1054 *μητρὸς ἔγκοτοι κύνες*· itaque extat in Sept. v. 977 *Ἐιρινὺς πατρὸς μεγασθενής*, et sic saepissime *Ἐρινὺς πατρός* vel *μητρός*.

Jam ad aliud discrimen transeo: extat in Eum. v. 381 sqt.

μένει γὰρ· εὐμήχανοι δὲ καὶ τέλειοι, κακῶν
τε μνήμονες, σεμναὶ
καὶ δυσπαρήγοροι βροτοῖς κτλ.

Eum. v. 422 cum Minerva Furias quae se parricidas semper sequi dixerunt, interroget:

καὶ τῷ κτανόντι ποῦ τὸ τέρμα τῆς φυγῆς;

respondent Furiae versu sequenti:

ὅπου τὸ χαίρειν μηδαμοῦ νομίζεται

Sic igitur Furiae, si quis in earum potestate est, nunquam ab eo disistunt, nulla re possunt placari, sed hominem tam diu vexant cruciantque, donec plane confectus est. Contra deos novos, quod infra ostendam, hominum nefariorum miseret; quamvis sint hi quoque severi scelerum judices, tamen non sunt plane implacabiles; cum Furiae sine omni discrimine quemque parricidam puniant, novi dii, quo consilio et qua ratione homo peccaverit respiciunt neque omnes homines sceleratos eodem modo duro puniunt, sed si homines justo modo deos placare student, eorum gratiam possunt recuperare.

Sic Aeschylus in tota Eumenidum fabula duros hos veteres deos novis opponit mitioribus, bellum quasi novi dii cum veteribus gerunt, dum tandem illi victoriam reportant. Sed priusquam, quomodo Aeschylus rem instituerit, ut paullatim duris antiqui temporis legibus novas leniores successisse et Furiarum quoque munus durum mitigatum esse demonstret, lon-

gius ostendo, necessarium videtur, nonnulla de Furiarum genere et puniendi ratione ex Aeschyli tragoediis afferre.

Furiae ipsae se semper nominant deas veteres Eum. v. 150, 162; opponunt sese diis novis v. 162, 170 sqi. 778; se esse dicunt Noctis filias Eum. 321 *μᾶτερ, ἅ μ' ἔτικτες, ὦ μᾶτερ Νὺξ* — v. 417, 745, 791 sqt. — sibi cum natae sint, a Moeris tamquam decus munus suum terribile esse traditum Eum. v. 334 sqt. habitant in foedis Tartari tenebris. Eum. v. 72 *ἐπεὶ κακον σκότον νέμονται Τάρταρόν θ' ὑπὸ χθονός.* Apollo eas nominat virgines detestabiles, turpes, canas, quarum aditum et dii alii et homines et animalia defugiunt Eum. v. 69 sqt. v. 73, 347 sqt. Sept. v. 720. Comparantur cum foedis draconibus Eum. v. 128 aut cum canibus furentibus Choeph. 1050; ex oculis sanguis profluit Choeph. 1058. Jam igitur turpissimus earum adspectus ei, in quem irruunt, maximum errorem offudit; itaque ei soli apparent, ab aliis non cernuntur, quod jam earum adspectus quasi poena est; Choeph. v. 1061, 1051. Simulatque parricidium homo confecit, adveniunt, ut Orestes cum matrem interfecerit, statim eas videt; jam hominem sine otio per terras et maria pellunt, sanguinis odorem sibi jucundissimum sequentes Eum. v. 246 sqt.:

τετραυματισμένον γὰρ ὡς κύων νέβρον
πρὸς αἷμα καὶ σταλαγμὸν ἐκματεύομεν

Eum. 254

ὀσμὴ βροτείων αἱμάτων με προσγελᾷ.

cantantes carmina horribilia, quibus hominem vehementer sollicitant Eum. v. 306 sqt. Privant hominem animi sanitate Eum. v. 330, etiam valentissimi vires frangunt Eum. v. 370, sanguinem ejus exsugunt Eum. v. 264; vivum hominem in Tartarum trahunt Eum. 267, nec post mortem homo tentatus a Furiis securus est Eum. 340. Omitto alios quos Aeschylus affert cruciatus, cum satis ex allatis, quam vehemens et intolerabilis sit Furiarum poena cognosci possit.

Sic Aeschylus Furias ipsas agentes in fabula producens deorum veterum dominatum describit; cum autem Furiae deae veteres in deorum novorum regnum transierint, quin hae quoque Jovis novi deorum regis voluntati succumbant et antiquam naturam deponentes jam agant ad novas leges fieri non potest.

Itaque Aeschylus in fabulis suis Furias quoque quae sint sub Jovis imperio ostendens utitur duplici modo, ut Furiarum munus paullatim mitigatum esse demonstret: nam et deos novos veterum Furiarum potestatem posse coercere et Furias ipsas Jovis quoque jussis obtemperare ejusque voluntatem persequi docet.

Sic dii novi homines a Furiis vexatos, qui ad aras eorum auxilium quaerunt, ab impetu illarum possunt tueri, ut Orestes tandem in Appollinis templo per aliquot tempus a doloribus vehementissimis liberatur; Apollo quamquam Orestem Furiarum manibus plane eripere non potest, tamen id valet, ut ab eo, donec ad aram versatur, Furias detineat; major deorum novorum potestas ex eo maxime elucet, quod Apollo tam gravem soporem Furiis potest parare, ut Orestem fugientem non sequantur. Nec deinde, cum Orestes ad Minervae aram supplex jaceat, eum audent abigere; sed Minerva quoque ipsa Orestem plane liberare non potest. — Dicit chorus in Sept. v. 699 sqt.

μελάναιγις οὐκ
εἶσι δόμους Ἐρινὺς, ὅταν ἐκ χερῶν
θεοὶ θυσίαν δέχωνται

non igitur Furiae in eam domum debent saevire, a qua dii novi sacra accipiunt; cui dii sunt propitii, a Furiarum vexationibus tutus est. Saepissime Furiae quod a diis novis munere suo honoribusque priventur quaeruntur, ut in Eum. v. 727 sqt., Eum. 778 sqt. 747, 227, 149 sqt.

Clarissime autem Aeschylus in tota Eumenidum fabula quomodo Furiae novis diis cedant ostendit; quamquam enim dii novi Furiis esse jus homines maleficos vexandi concedunt, tamen ita res vertitur, ut Furiae ipsae tandem jus suum remittant; magna cum arte Aeschylus hanc e vetere duro statu ad lene novorum deorum imperium transitum exponit; non enim cum vi et uno quasi ictu, quod poterant ut ostendunt Minervae minae in Eum. v. 827 sqt. Furias vincunt, sed persuasionibus promissionibusque eas ut duram suam implacabilemque naturam deponentes in novorum deorum societatem recipiantur adducunt. Etiam porro quidem munus Furiarum puniendi manet, sed cum prius hoc solo munere functae sint neque unquam simul hominibus piis benevolentiam suam praestiterint, jam in posterum se

hominibus piis temperantibusque faventes beneficia facturas esse promittunt; Eum. v. 992 sqt. 1030 sqt. Aptissime igitur Aeschylus Orestiam suam sic finit, ut Minerva dea Furiis, quarum consuetudine adhuc dii novi non usi sint, Athenis templum juxta suum assignet, civesque Athenienses Furias summa cum reverentia et precibus et sacrificiis colere jubeat.

Sed, ut jam dixi, hac quoque re Aeschylus Furias, cum Jupiter orbis regimen assecutus sit, hujus imperio subjectas esse contendit, quod jam munus suum Jovis mandato subeunt, itaque ut alii dii Jovis vice poenas hominibus sceleratis afferunt. Sic chorus dicit in Ag. v. 55 sqt. Jovem vel alium deum novum Furias mittere. In Eum. v. 360 sqt. si quam codex Mediceus praebet lectionem probamus extat

σπευδόμεναι δ' ἀφελεῖν τινα τάσδε μερίμνας,
θεῶν δ' ἀτέλειαν ἐμαῖσι λιταῖς ἐπικραίνειν.
μηδ' εἰς ἄγκρισιν ἐλθεῖν —
Ζεὺς γὰρ αἱματόφυρτον πᾶν ἔθνος τόδε λέσχας
ἃς ἀπηξιώσατο·

(Naegelsbachium — Nachhomer. Theol. p. 347 — secutus participium *σπευδόμεναι* pro verbo finito positum esse puto: *τινά*, dicit Naegelsbachius, significat Jovem; *θεῶν ἀτέλεια* est deorum immunitas, id est laborum liberatio; voces *ἐμαῖσι λιταῖς* et Hermannus et Naegelsbachius passive esse declarandas censent „preces, quibus nos invocari patimur.“ Satis recte Naegelsbachius multis locis comparatis hunc locum interpretatus esse mihi videtur, quapropter ei plane assentior). Dicunt Furiae, se Jovem cura puniendi expedire, se homines sceleratos, quos Jupiter ad sedem suam non admittat, causis incognitis persequi; nominant igitur Furiae se quasi Jovis servas, quae munus ei molestum recipiunt. Quae cum ita sint Furiae jam alia quoque scelera, quae ex novis Jovis legibus punienda sunt, puniunt, ut ipsae dicunt, se omnes homicidas domo expellere in Eum. v. 421:

βροτοκτονοῦντας ἐκ δόμων ἐλαύνομεν

in Ag. v. 746 mittit Jupiter Furiam ut propter violatum hospitii jus Trojanos puniat. Sed haec sufficiant; videmus Furias quoque jussu Jovis ab hominibus nefariis poenas repetere.

Tandem hoc loco de imprecationibus, quibus homines iis,

a quibus violati sunt deorum iram expetunt, pauca verba sunt facienda, nam tum quoque adsunt Furiae, quae has imprecationes perficiant. Res autem sic se habet: homines a diis, quos esse justissimos sciunt, si injuriam ab aliis passi sunt, ut eos puniant petunt; commendant igitur quasi eos deorum irae; dii vero, si justae sunt hae imprecationes audiunt et eas quae expetitae sunt calamitates mittunt: sic Oedipus filiis hanc poenam expetit Sept. v. 788 sqt. *σιδαρονόμῳ διὰ χερὶ ποτὲ λαχεῖν κτήματα* et dii bellum fraternum excitant, quo alter alterum caede turpissima interficit. Quam certe Graeci tales imprecationes ad finem duci putaverint videmus ex hoc, quod qui sunt devoti, se posse servari non putant, sicut Eteocles de salute plane desperat. Quapropter Agamemnon filiae immolandae os claudit, ne gentem exsecretur, Ag. v. 236 sqt. Itaque nominantur *ἀραί πολυκρατεῖς* Choeph. v. 406. — Facile autem est intellectu, cur Furias maxime has imprecationes perficere Graeci crediderint; nam cum imprecationes plerumque, si foedissima scelera commissa sunt, quibus sanctissima consanguinitatis jura violantur, fiant, jam est Furiarum, ultionem suscipere. Quod praesertim, ut modo dixi, Furiae eas imprecationes, quibus aliquis a consanguineis violatus gentem suam exsecratur, suscipiunt perficiendas, etiam hac in re proprium deorum veterum munus cognoscimus. Sic Thyestes Atrei genus, sic Oedipus filios devovit et in hos maxime Furias furentes videmus. Quae imprecationes, quomodo per totam gentem maneant jam supra cum de calamitatibus in gente quasi hereditariis dixerimus, satis vidimus, nam hae calamitates fere semper ex imprecationibus sunt exortae. Itaque nominantur *ἀραὶ γενέθλιοι* in Choeph. v. 912 *οὐδὲν σεβίζει γενεθλίους ἀρὰς τέκνον*; Quam arcte autem imprecationes cum Furiarum munere cohaereant, clarissime quod Furiae etiam *Ἀραί* nominantur elucet, sicut ipsae dicunt in Eum. v. 417

Ἀραὶ δ' ἐν οἴκοις γῆς ἵπαὶ κεκλήμεθα

sicut in unum quasi conjunguntur *Ἀρά* et *Ἐρινύς* in Sept. v. 70:

Ἄρα τ' Ἐρινὺς πατρὸς ἡ μεγασθενής.

Haec sufficiant de Furiis et jam mihi quid Aeschylus nos de poenis doceat, ostendisse videor; liceat igitur jam ad ultimam opusculi partem transire, qua demonstraturus sum:

IV. Quomodo peccata expientur?

Jam supra deos non solum esse justos severosque, qui scelera puniant sed etiam benignos, qui scelerum dent veniam, Graecos credidisse commemoravi. Quod cum sciant, homines scelerati deorum favorem possunt recuperare, quamvis Aeschylus quoque nonnulla esse scelera, quae omnino expiari non possint, dicat. Sic in Ag. v. 69 sqt. aliisque locis Paridem Trojamque neque precibus neque sacrificiis Jovis iram posse demovere legimus; quodsi quis hospitiis jus violavit, scelus fecit inexpiabile. Quod jus Graecorum opinione quam sanctum sit, quanti id dii aestiment, jam ex hoc quod Jupiter nominatur *ξένιος*, apparet. Eodem modo nunquam dii ignoscunt iis, qui supplices non recipiunt neque contra injurias defendunt; saepissime Danaidae regi qui bellum timens eas in terram suam recipere diu dubitat, qua ira atrocissima Jupiter supplicum jus negligentes affligat in memoriam redigunt, Suppl. v. 346, 385, 616. Ut modo Jovem *ξένιον*, id est tutorem hospitum nominari attuli, sic quoque quod supplices sunt in ejus tutela, nominatur *ἱκέσιος*, Suppl. v. 385 vel *ἀφίκτωρ*, Suppl. v. 1. Quo supplicum jure vix quid sanctius Graeci habuerint invenias, nam ne dii quidem, si quis ad eorum aras fugit, eum rejicere audent. Eum. v. 232, 474 sqt.

In Choeph. v. 71 sqt. extat *θιγόντι δ' οὔτι νυμφικῶν ἑδωλίων ἄκος·* (Eum. v. 213 sqt.), e quibus aliisque locis adulterium, quo connubii jus violatur, nunquam expiari posse apparet; est matrimonium, ut supra demonstravi, novorum deorum institutum, quod Jupiter et Juno dii summi suo matrimonio sancientes ne ab hominibus neglegatur procurant. Quo matrimonii vinculo, cum sit contrarium ei, quod est inter consanguineos, hos conjungi dii vetuerunt; itaque Danaidae connubium, quod ab iis patrueles postulant, turpissimum esse, neque unquam a diis veniam impetraturum dicunt in Suppl. v. 336

τίς δ' ἂν φίλους ὠνοῖτο τοὺς κεκτημένους;
v. 10 *γάμον Αἰγύπτου παίδων ἀσεβῆ τ' ὀνοταζόμεναι.*

Deinde eum qui parentibus vel omnino consanguineis mortem paravit, nulla, quibus poenas impediat, piacula juvant; sic de caede fratrum mutua chorus dicit in Sept. v. 934 sqt.

ἐπειδὰν αὐτοκτόνως αὐτοδαίκτοι θάνωσι, — τίς ἂν καθαρμους πόροι. Quae cum ita sint, quod Orestes, quamquam matris caede se polluit, a poenis liberatur et quod alia quoque scelera similia expiantur miramur, neque possumus rem declarare, nisi aut deos cum aliis veniam dent aliis non dent hac in re arbitrio uti, aut illos, quibus dii non ignoscunt, non justo modo piaculum quaerere statuimus. Cum supra peccatum esse audaciam, qua homines deorum leges transeant, viderimus, certe tum in homine scelerato expiationis desiderium existit, cum se deos violasse intellexerit; intellexit autem tum, cum poenis a diis missis ita prematur, ut tolerare eas non possit, quapropter se iis liberare, id est deos sibi reconciliare tentatur. Et dii ipsi ut jam supra dixi, eo consilio mittunt poenam, qua hominem ad rectam viam reducant. Deinde animi sui sollicitudinem, qua maxime cum vexari supra vidimus, sedare prius non potest, quam cum diis iratis pacem confecit. Aliorum denique exemplo, quos poenis gravissimis afflictos videt, homo nefarius fit melior; magnus enim timor cum invadit, et priusquam ipse his poenis deprehendatur deorum gratiam quaerit. Jam igitur modeste deorum majorem potestatem agnoscit moestoque animo ut sibi ignoscant ab iis petit. Sed minime ex Graecorum sententia, id quod exspectamus, cuique, quem scelerum poenitet, dii indulgent, cum puniendi non ignoscendi jure semper utantur. Quamvis supra, nunquam hominem plane inscium scelus committere ostenderim, tamen non dubium esse puto, quin dii, qui possint aut punire aut ignoscere, ad id animos maxime attendant, quibus de causis homines peccaverint: si quis inconsulte vel a diis jussus sicut Orestes scelus commisit, certe dii ejus preces accipient; si consulte vel quamquam dii eum monuerunt, peccavit, certe frustra a diis benevolentiam flagitabit: itaque Agamemnon quamvis post reditum summa modestia utatur atque se deos omni modo culturum esse polliceatur, tamen punitur, nam turpi gloriae cupiditate ductus et contra deorum monitus Iphigeniam filiam mactavit; itaque Clytaemnaestram nihil juvant vota sacrificiaque, sed in perniciem incurrit, nam scelerato Aegisthi amore commota nec subito sed astutia diu praeparata conjugem occidit; contra Orestes per deos ab interitu servatur, nam pietatis in patrem munere functus est

a diis ipsis jussus; quamquam antiquo Furiarum jure, quod matrem interfecit, gravissimas poenas contraxit, tamen dii eum defendunt.

His expositis jam quomodo placatio fiat est ostendendum. Sunt autem variae res, quibus homines scelerati culpam dissolvunt, quas Jupiter ipse homines docuisse dicitur in Eum. v. 441. Primum enim cum dii irati sint placandi, sacrificia, quibus omnino Graeci deorum benevolentiam se adipisci putabant, a sceleratis sunt instituenda, sicut extat in Ag. v. 69 sqt. (loco satis corrupto et satis tentato)

οὔθ' ὑποκάων οὔθ' ὑπολείβων
οὔτε δακρύων ἀπύρων ἱερῶν
ὀργὰς ἀτενεῖς παραθέλξει·

quamquam enim hoc loco his sacrificiis minime Trojanos culpa liberari dicit chorus, tamen sacrificia piacularia adhiberi elucet; et quod additum est οὔτε δακρύων illa sacrificia sola non sufficere apparet, sed oportere homines sceleratos scelerum poeniteat. Num autem dii re vera sacrificia precesque probaverint homo si poenae, quibus adhuc vexatus est, jam decedunt intelligit, cum se omnino deos placare non posse cognoscat, si etiam prorsus in calamitatibus versatur.

Sed accuratius, quomodo caedes sanetur, hoc loco contemplemur, quod de hac re Aeschylus maxime nos docet. Si quis caedem committit et deorum leges violat eorumque indignationem movet et interfecti iram, de qua supra dixi, incitat et ejus consanguineos, quibus est ultionem perficere, sibi infestissimos reddit. Primum igitur qui sceleris onere liberari vult, deos debet placare, id quod eum posse sacrificiis perficere jam supra vidimus; deinde animus ejus, cui vis allata est, apud inferos irascens mittensque poenas est mitigandus; quod maxime libationibus precibusque fieri locus docet ille Agamemnonis, quo Clytaemnestra Electram cum servis ad conjugis sepulcrum, quae ei afferant libationes, mittit. — Ut mortui consanguineorum vitet iram, homicida debet domo fugere. Sed non solum hac causa ut fugiat cogitur, sed aliae quoque quibus domo deturbatur causae adsunt. Ut enim hanc deorum placationem — ἱλασμόν — assecutus sit, tamen non plane in pristinum statum, quo erat, priusquam scelus commisit, est restitutus;

accedere debet lustratio — *κάθαρσις* —. Quod optime Orestis exemplo possumus ostendere, quamquam is prius lustratur quam Furiarum placatio fit. Vix enim Orestes matris caedem perfecit, cum sensus a recta via aberrare sentit; sic igitur qui parricidio contaminatur, recta mente capitur, nec prius resipiscit, quam haec contaminatio est abluta, Choeph. v. 1055 sqt.

ποταίνιον γὰρ αἷμά σοι χεροῖν ἔτι·
ἐκ τῶνθέ τοι ταραγμὸς ἐς φρένας πίτνει.

Praeterea tota terra, in qua caedes perfecta est, polluitur, nam tanta est pollutio, ut homo sceleratus ab hominum consuetudine debeat removeri; qui eo utitur vel eum hospitio recipit, ipse contaminatur et in exitium praecipitat Eum. v. 285. Eodem modo illi ad deorum templa appropinquare vel rebus divinis interesse non licet, nam puri dii hominem pollutum rejiciunt et Apollini Furiae maxime faciunt opprobrio, quod Orestem pollutum excipiens sanctum suum templum polluerit. His quoque incommodis tum demum homo sceleratus liberatur, si justo modo lustrationem perfecit; non autem hanc eo loco, quo scelus commisit, sed apud externos solum adsequitur; sic fugit Orestes, ut in terra peregrina lustretur, sic chorus Clytaemnestram ut ex urbe fugiat hortatur in Ag. v. 1410 *ἀπόπολις δ' ἔσει μῖσος ὄβριμον ἀστοῖς.*

Hoc loco de voce *προστρόπαιος* pauca sunt dicenda: cum enim Orestes concludat se sanguinis maculam esse amolitum, quod cum multis conveniens nullum damnum paraverit in Eum. v. 284

πολύς δέ μοι γένοιτ' ἂν ἐξ ἀρχῆς λόγος,
ὅσοις προσῆλθον ἀβλαβεῖ ξυνουσία.

et paullo post quod manu sua Minervae deae imaginem attingere et cum dea colloqui sibi jam liceat, dicit se jam non esse *προστρόπαιον* Eum. v. 445 sqt.

οὐκ εἰμὶ προστρόπαιος, οὔδ' ἔχει μύσος
πρὸς χειρὶ τῇμῇ τὸ σὸν ἐφημένου βρέτας,

Propie *προστρόπαιος* significat eum, qui ut se excipiat ab aliquo petit Suppl. v. 362, Ag. v. 1587 *καὶ προστρόπαιος ἑστίας μολὼν πάλιν κτλ.* itaque *προστροπαί* sunt supplicum preces Choeph. v. 85, Pers. v. 216. Cum autem hominis qu

caedem fecit conditio sit ea ut ab hominum consuetudine exclusus ut recipiatur petat, plerumque is, donec nondum lustratus est, nominatur *προστρόπαιος*, id est homo pollutus contaminatione. Qua simul liberatus est, fit *ἱκέτης*, cui homines deosque adire jam licet, quem dii hominesque jure supplicum sancto debent recipere. Itaque Orestes a Minerva dea, ad cujus aram jam purgatus sed tamen a Furiis vexatus petit auxilium, nominatur *σεμνὸς προσίκτωρ*, Eum. v. 441.

Videmus igitur non easdem esse deorum placationem et culpae lustrationem, sed plane eas esse diversas. Itaque cum jam quomodo homo sceleratus lustretur sit quaerendum duplex lustrandi genus Aeschylus nos docet in Eum. v. 448 sqt.

ἄφθογγον εἶναι τὸν παλαμναῖον νόμος,
ἔς τ' ἂν πρὸς ἀνδρὸς αἵματος καθαρσίου
σφαγαὶ καθαιμάξωσι νεοθήλου βοτοῦ.
πάλαι πρὸς ἄλλοις ταῦτ' ἀφιεράμεθα
οἴκοισι καὶ βοτοῖσι καὶ ῥυτοῖς πόροις.

Sanguine igitur aut aqua homines polluti lustrantur; ut autem in rebus sacris caerimoniisque accuratissime omnia apud Graecos invenimus instituta, hac quoque in lustratione non omnium animalium, quae sacrificari solent, sed porci lactentis sanguinem adhibendum esse putaverunt, et in Eum. v. 282 sqt. Orestes se hoc sanguine purgatum esse certis verbis premit:

ποταίνιον γὰρ ὂν πρὸς ἑστίᾳ θεοῦ
Φοίβου καθαρμοῖς ἠλάθη χοιροκτόνοις.

Quod sacrificium homo sceleratus ipse perficere non potest, sed alius quidam porculum mactat illumque sanguine adspergit, quo purgatur.

Si locos, quos modo attuli, quibus Orestes se esse lustratum dicit, contemplamur, hoc altero Apollinem Orestis lustrationem perfecisse legimus, illo priori contra extat *πρὸς ἄλλοις οἴκοις ταῦτ' ἀφιερώμεθα.* Accedit tertius locus Eum. v. 237 sqt.

δέχου δὲ πρευμενῶς ἀλάστορα,
οὐ προστρόπαιον οὐδ' ἀφοίβαντον χέρα,
ἀλλ' ἀμβλὺν ἤδη προστετριμμένον τε πρὸς
ἄλλοισιν οἴκοις καὶ πορεύμασιν βροτῶν.

His igitur duobus locis Orestes se ad aliorum aedes (nam non debet aedes intrare) id est ab aliis hominibus esse purgatum dicit. Quae cum ita sint, unam lustrationem non sufficere sed saepius eam esse repetendam apparet, nam vix verbis *πρὸς ἄλλοισιν οἴκοις* Apollinis templum significari contendam, praesertim cum hoc tertio loco addita sint verba *καὶ πορεύμασιν βροτῶν*. Deinde de lustratione ab Apolline perfecta tantum dicitur *καθαρμοῖς χοιροκτόνοις ἠλάθη* cum versu 452 additi sint *ῥυτοὶ πόροι*. Accedit quod Orestes dicit in v. 276 sqt.

ἐγὼ διδαχθεὶς ἐν κακοῖς ἐπίσταμαι
πολλοὺς καθαρμούς.

Quae omnia Orestem per longum tempus per multas terras errantem variis locis a variis viris lustrationem petivisse docere mihi videntur, nam cum ut ipse ait multae lustrationis caerimoniae — *πολλοὶ καθαρμοί* — et fortasse variis in terris, quas pererravit, variae essent, has omnes ut certissime pollutione liberaretur, adhibuit.

Sed hac in lustratione hoc quoque est observandum, dum porculi sacrificatio aliaeque caerimoniae perficiuntur, is, qui purgatur, debet servare silentium, Eum. v. 448 *ἄφθογγον εἶναι παλαμναῖον νόμος* cfr. Eum. v. 277; cum sit impurus, omnia quae aut dicit aut facit sunt impura, itaque alius homo justus purusque pro illo omnia quae sunt necessaria debet dicere et facere.

Aqua deinde homines sceleratos purgari posse jam dixi et usitatissima haec lustrationis forma videtur fuisse, nam saepius Aeschylus eam affert, ut in Choeph. v. 71 sqt.

θιγόντι δ' οὔτι νυμφικῶν ἑδωλίων
ἄκος, πόροι τε πάντες ἐκ μιᾶς ὁδοῦ
βαίνοντες τὸν χερομυσῆ
φόνον καθαίροντες ἰοῦσαν ἄταν.

cfr. Eum. v. 452, Choeph. v. 48.

Certe, ut semper in talibus rebus religiosis, in lustrationibus quoque aqua viva, qua turpis contaminatio ablueretur, homines polluti sunt conspersi.

Si denique quis lustrationem viri scelerati perficiat, volumus cognoscere jam supra ea in terra, qua caedem commisit interfectorem purgari non posse dixi; num vera apud externos

a quoque lustrationem petere possit an singuli viri omnes caerimonias accurate scientes adsint, ex Aeschyli tragoediis vix elucet. Sed cum in Suppl. v. 260 sqt. ubi rex de totius terrae pollutae lustratione verba facit, vates quidam Apis terram lustret et cum de pluribus lustrationibus a vatibus perfectis nobis a veteribus scriptoribus tradatur, singulos fuisse viros caerimonias scientes et ipsos omni culpa peccatoque liberos, qui pollutos homines lustraverint, censeo. Cum Orestem ab Apolline deo purgatum esse viderimus, cum praeterea Apollo haud raro nominatur ἰατρόμαντις et καθάρσιος Eum. v. 62 sqt. Apollinem esse deum, qui homines pollutos et lustrationem petentes tueatur, apparet; itaque illi quoque viri, qui alios lustrant, nominantur Apollinis vates vel Apollinis filii, ut in Suppl. v. 262 sqt. perficiunt lustrationem quasi vice Apollinis; itaque saepissime cives terrae pollutae et deorum poenis afflictae Apollinem, ut auxilium ferat, rogant, et Appollo virum qui lustrationem perficiat mittit.

Sic igitur homo sceleratus et deorum benevolentiam recuperare et in hominum consuetudinem redire potest; nam si quis justo modo et deos placavit et lustrationem perfecit plane in pristinum statum restituitur; cui ignoscunt dii, eum poenis liberant; qui plane lustratus est, in patriam redire potest rursusque in civium numerum recipitur, Eum. v. 754 sqt.

Sane Aeschylus quoque scelera esse nonnulla inexpiabilia dicit, nam Aeschylo quoque certiorem esse deorum justitiam in homines nefarios quam benignitatem persuasum est, sed sicut multis in rebus sic in hac quoque falsis vulgi de diis sententiis non assentitur, sed hac quoque in re ut falsa judicia impugnet tragoediis suis agit.

VITA.

Fridericus Richardus Kraft natus sum Calendis Decembr. A. h. s. XL. Lossae in districti Merseburgensis vico, patre Friderico Roberto, verbi divini interprete, et matre Agnes e gente Stockmanniana, quo utroque adhuc superstite valde laetor. Fidem profiteor evangelicam Primis literarum elementis domi imbutus fere XI annos natus progymnasium Donndorpense adii, quod adhuc directore Steinicke floret. Triennio ibi peracto jam in scholam Portensem sum receptus, ubi viris illustribus G. Corssen, C. Steinhart, C. Keil, C. Peter praeceptoribus usus sum, qui studium antiquarum literarum magnum in me excitaverunt. Itaque cum VI annis praeteritis testimonio maturitatis instructus essem jam anno h. s. LXI hanc almam literarum Universitatem Halensem petii et civitati academicae sum adscriptus. Sed per primum annum, cum stipendia facerem, plus exspectato a literis distinebar; jam autem stipendiis absolutis recenti ardore studia antiquitatum recepi. Sed rursus ad arma vocatus hieme anni LXIV, cum bellum Borussi Danis intulissent, per XII hebdomades inter milites gregarios in oppido Vitebergio retentus sum. Tandem dimissus Halam redii et jam eo majori studio literis operam dedi. Praesertim interfui scholis Virorum Illustrium G Bernhardy et Th Bergk, quos non solum publice legentes audivi sed etiam seminariis philologicis ab iis moderatis per annum sodalis ordinarius interfui. His prae caeteris gratias refero maximas, praesertim Professori Bergk, qui in societatem philologicam me recepit Ad philosophiae studium E. Erdmann et J. Schaller ducibus me contuli; praeterea H. Leo, E. Duemmler, G. Hertzberg historicos audivi, quorum omnium memoriam pio animo semper retinebo.

THESES.

I. Errant, qui Plebem Romanam ab initio non in comitio sed in foro ad contiones convenisse contendunt.

II. Furias, quae in fine Aeschyli Choeph. commemorantur, neque spectatoribus, neque choro sed Oresti soli apparuisse censeo.

III. In Eurip. Hipp. versus 625 et 626:
νῦν δ' εἰς δόμους μὲν πρῶτον ἄξεσθαι κακὸν
μέλλοντες ὄλβον δωμάτων ἐκτίνομεν
ab Euripide ipso esse factos contra Nauckium contendo.

IV. Plaut. Men. v. 1081 scribendum esse puto sic:
Di immortales, insperatam spém date mihi quam súspicor
pro librorum lectione:
spem insperatam date mihi quam suspicor
et Ritschelii conjectura:
quam insperatam spem datis mi, ut suspicor.

MAR 11, 13.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 052 932 7